

Seinem lieben Freunde
Carl Drexel

Münster i/W, d. 1. Mai 1901. Der Verfasser.
Ägidiistr. 14





# DE INDIVIDUITATE MATRIMONII.

DISSERTATIO THEOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI THEOLOGORUM ORDINIS
IN
**ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI**
AD
SUMMOS IN S. THEOLOGIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
UNA CUM THESIBUS PROPOSITIS
**DIE I. MENSIS MAII ANNI MDCCCCI. HORA XI.**
PUBLICE DEFENDET

**CAROLUS BOECKENHOFF**
DIOECESIS MONASTERIENSIS PRESBYTER.





CONTRADICENDI PARTES SOLEMNES SUSCIPIENT:

R. D. **HERMANNUS KERKHEY,** DR. THEOL. ET PHIL., CONCIONATOR ECCL. CATH. MONASTER.
R. D. **THEODORUS NABER,** PRESB. DIOEC. MONASTER.
R. D. **JOSEPHUS REINKE,** CAND. PHIL., PRESB. DIOEC. MONASTER.

**BEROLINI.**
EX OFFICINA SOCIETATIS TYPOGRAPHICAE „GERMANIA“.
MDCCCCI.

# Index.



# De individuitate matrimonii.

## Pars I.

## De individuitate matrimonii ut contractus.[1])

### Caput I.

### De individuitate contractus in genere.

1. Contractus in sensu latissimo est conventio duorum (vel plurium) in idem placitum obligationem inducens ex iustitia commutativa saltem in una ex partibus paciscentibus.[2]) Ergo essentia contractus in eo consistit, quod sit conventio duorum in idem placitum, sed non qualiscunque, sed talis, quae obligationem strictam inducat. Si v. gr. duo conveniunt, ut infra annum communiter peregrinentur Romam, quin tamen hoc convenire duarum voluntatum ullam inducat obligationem, neque pro uno neque pro altero contractus adest, quia ex duobus ad contractum requisitis verificatur quidem unum sc. conventio duorum in idem placitum, sed deest alterum sc. obligatio. Ex altera parte si Titius sacerdos voto se obstringit, ut semel in mense pro Caio amico missam celebret et Caius postquam de tali voto comperit, et ipse vovet, ut idem faciat pro Titio, quamquam obligatio adest in utroque et quidem ex iustitia alteri parti praestandi id, quod promissum est, tamen contractus non adest, quia obligatio non provenit ex conventione facta inter utrumque amicum, sed ex quasi conventione utriusque facta cum Deo per votum.[3])

Ergo duo requiruntur ad essentiam contractus: alterum est conventio voluntatum et haec non potest esse ex una parte, sed debet esse ex utraque, quia unus non potest convenire;[4]) alterum est effectus obligatorius ex conventione resultans, et hic potest verificari solummodo in alterutro contrahentium.

---

[1]) Boeckenhoff, Die Unteilbarkeit des gegenseitigen Vertrags und ihre Bedeutung für das Eherecht. (Archiv für kath. Kirchenr. LXXX. pag. 469—492.)

[2]) Schmalzgrueber, Ius ecclesiast. univers. l. I. tit. 35 n. 1 et 34.; Pirhing, Ius canon. Dilingae 1722. l. I. tit. 35. n. 1.; Lessius, De iustitia et iure, Brixiae 1696. lit II. c. 17. dub. 1. n. 4.

[3]) D'Annibale, Summula theolog. moralis. Romae 1896. III. n. 197. ibid. not. 4.

[4]) Schmier, Iurisprudentia Canonica. Venetiis 1754. tom. II. lib. 3. tr. 3. c. 1. n. 230.

2. Ex his quae diximus statim apparet, quid respondendum sit, si quaeratur, an contractus claudicare possit. Potest claudicare quoad effectum obligationis, minime autem quoad conventionem. Sic intelligitur, quomodo theologi et canonistae, modo asserant contractum non posse claudicare,[1]) modo disputent, quid iuris sit in casu, quo contractus claudicet.[2]) In priori enim casu loquuntur de ipso contractu, in altero de effectu eius obligatorio, qui potest adesse in uno, deficere in altero contrahente, aliis verbis: contractus est individuus, sed obligatio quamvis sit effectus substantialis contractus, qui sine ulla obligatione ex iustitia commutativa proveniente ne cogitari quidem potest, tamen non necessario participat individuitate ipsius contractus.

3. Quia hac in re non accurate distinguitur, terminologia in materia contractuum minus congrua est, v. gr. si loquimur de contractu bilaterali et unilaterali; non enim potest esse contractus unilateralis in sensu proprio, ut patet, sed omnes contractus sunt bilaterales. Si qua videtur esse exceptio, solummodo apparens est. Sic in iure Romano[3]) pollicitatio facta in favorem reipublicae vel civitatis ob causam iustam statim obligabat, etiamsi nulla secuta fuerat acceptatio. Attamen etiam in hoc casu non deerat consensus ex altera parte. Ipsa enim respublica erat, quae semel pro semper huiusmodi pollicitationes legali suo consensu acceptaverat. — Potest autem esse contractus cum obligatione unilaterali et contractus cum obligatione bilaterali, ut iam diximus.

Similiter minus apte disputatur de contractu claudicante. Quid tandem intelligitur sub hac voce? Cum enim valor contractus claudicare omnino nequeat, et idem contractus pro utroque contrahente aut validus aut invalidus sit, solummodo effectus potest claudicare, ita ut obligatio adsit in uno et non in altero; et sic improprie[4]) posset dici claudicare omnis contractus, qui etiam improprie dicitur unilateralis. At hoc sensu iste terminus non videtur esse receptus; pro iis potius contractibus adhibetur, qui per se pariunt obligationem in utraque parte, et nonnisi per accidens in alterutra tantum. Quod fit, cum altera pars in contractu quodam bilaterali ex lege humana erat inhabilis ad contrahendum, ideoque contractus ut bilateralis[5]) nullus et irritus; sed illa lex consensum alterius incapacis non omnino irritaverat sed auferendo effectum obligatorium quoad compartem incapacem, consensui reliquit vim acceptationis in ordine ad obligationem ab altera parte contractam, aliis verbis: contractus ut bilateralis invalidus, remansit validus ut unilateralis. Hoc v. gr. in iure Romano[6]) habetur quando pupilli sine auctoritate patris vel tutoris aliquod pactum bilaterale ineunt.[7]) Tunc dici solet, ait Lessius[8]) „contractum maioris cum minore claudicare, quia solum ex altera parte est obligatio.“ Similiter Schmalzgrueber[9]) de contractibus

[1]) v. gr. Schmalzgrueber l. c. IV. tit. III. n. 423.

[2]) Schmalzgr. l. c. n. 425.; Lessius l. c. lib. II. c. 17. n. 60.

[3]) L. 1. pr. L. 3. § 1. sq. L. 4. D. De pollic.

[4]) Nam sensu proprio et nativo „claudicare“ designat defectum aliquem et infirmitatem; sed nihil huiusmodi habetur in contractu valido cum obligatione unilaterali.

[5]) Schmier, l. c. tom. II. lib. III. tract. 3. c. 1. n. 143.

[6]) L. 9. D. De auctor. tut. XXVI. 8.

[7]) Wernz, Ius Decretalium. Romae 1898 sq. III. n. 232.

[8]) l. c. II. c. 17. n. 60.

[9]) l. c. IV. tit. I. n. 425.

metu initis: „Claudicare possunt seu ex una parte habere obligationem efficacem, inefficacem ex altera."

4. Contractus naturam et indolem habet matrimonium, etiam matrimonium christianum, quod non est aliud nisi contractus ad sacramenti dignitatem elevatus. Matrimonium communiter definitur contractus legitimus inter marem et feminam individuam vitae consuetudinem afferens.[1]) Ultimis huius definitionis verbis comprehenditur mutuum ius cum relativa obligatione in corpus alterius in ordine ad prolem generandam et educandam.[2]) Itaque matrimonium est contractus bilateralis.

Ex his sequitur matrimonium nunquam posse claudicare, quia contractus est. Sed ne specie quidem potest claudicare, ut alii contractus, quia iure divino ut contractus bilateralis cum mutua obligatione et relativo iure in utraque persona paciscente institutum est; ergo omnino excluditur, ut matrimonium invalide contractum propter inhabilitatem alterutrius retineret vim alicuius pacti unilateralis, in quo solummodo in alterutro esset obligatio acceptata ab altero.[3])

5. Et tamen videtur in contractu matrimonii interdum posse oriri obligatio in uno et non in altero contrahente. Sic in casu, quo quis mulierem vi vel gravi metu ad contrahendum cum se impellit, mulier potest statim recedere, sed vir debet stare contractui, si mulier vult renovare consensum et alio modo plena iniuriae reparatio fieri non potest.[4]) — Attamen patet talem obligationem non provenire ex contractu, qui omnino non adest,[5]) sed ex iniuria, quam vir mulieri intulit. Porro obiectum obligationis in casu non est obiectum contractus matrimonii, de quo supra diximus, sed est sanatio matrimonii nulliter contracti.

6. Superest, ut inquiramus in textus quosdam fontium iuris canonici, unde quis possit sumere suspicionem de absoluta individuitate matrimonii non semper constitisse inter omnes. Sic v. gr. in Decreto Gratiani c. 7. C. 32. qu. 2. verbis S. Augustini[6]) dicitur, si in ipso matrimonii contractu uterque contraxerit sub conditione quadam, quae adversatur substantiae matrimonii, contractum esse nullum; si autem alter solummodo sic contraxerit „audeo dicere aut illa est quodammodo meretrix mariti, aut ille adulter uxoris", quasi una eademque coniunctio posset ex altera parte esse fornicaria, ex altera parte verum matrimonium, quod revera glossa in eodem loco clarius ita exprimit: „Matrimonium quandoque ex una tantum parte tenet."

In eodem Decreto c. 4. C. 32. q. 5. sermo est de adulterio, in quo altera pars, quia coacta fuerit, dicitur non esse adultera. Ad quem locum glossa „unus admisit": „Vides ergo quod adulterium potest esse ex parte unius tantum; similiter simonia et similiter societas et spon-

---

[1]) c. 11. X. tit. XXIII. de praesumption. libri II.; Hartmann, De contractu matrimoniali. Bonnae. 1871. p. 15 ssqq.

[2]) Gasparri, De matrim. Paris. 1892. vol. I. n. 205.

[3]) „Cum matrimonium sit quaedam relatio et non possit innasci relatio in uno extremorum sine hoc, quod fiat in alio, ideo quidquid impedit matrimonium in uno, impedit ipsum in altero, quia non potest esse, quod aliquis sit vir non — uxoris vel quod aliqua sit uxor non habens virum et ideo dicitur communiter, quod matrimonium non claudicat." S. Thomas Aqu. in Suppl. q. 47. a. 4.

[4]) Lehmkuhl, Theol. moralis. ed. VI. vol. II. n. 137.

[5]) Schmalzgrueber, l. c. l. IV. tit. I. n. 424.

[6]) De nuptiis et concupiscentia l. I. c. 15 (Migne 44, 423 f.).

salia et matrimonium." Pro argumento dein provocatur ad c. 7. C. 32. q. 2., de quo modo diximus, et insuper ad c. 1. X. lib. IV. tit. 7. In hoc capite Alexander III. statuit, ne is, qui vivente legitima uxore contraxisset cum alia nesciente primam uxorem adhuc vivere, post mortem huius ad suam petitionem separaretur a secunda; mulierem autem posse divortium petere. Itaque tale matrimonium, quod per se nullum erat, propter impedimentum dirimens criminis ex hac lege in poenam mariti videtur inde ab initio validum fuisse pro viro, invalidum quoad mulierem; alias Pontifex coegisset virum ad fornicariam cohabitationem.

Econtra ad ipsum c. 7. C. 32. q. 2. alia glossa ad v. „ab initio" advertit, falsam esse sententiam eorum, qui asserunt, matrimonium quandoque tenere ex una parte tantum.

Nihilominus non videtur fuisse vera opinionum diversitas neque unquam dubitatio de absoluta individuitate matrimonii. Vel ipsos glossatores illos, qui expresse asserunt matrimonium posse tenere ex una parte, ab altero glossatore magis vituperari censeo propter inepta verba, quam propter falsum conceptum. Nam quamvis incongrue locuti sint, tamen videntur recte sensisse. Cum enim loquuntur de matrimonio, quod ex una tantum parte teneat, subintelligunt eam distinctionem, quam expresse pronuntiat glossa „Relinquitur" ad c. 2. C. 28. q. 2. Ibidem in textu dicitur propter privilegium S. Pauli ius matrimonii solvi contumelia creatoris circa eum, qui relinquitur, quod glossa sic interpretatur: „Nihilominus et circa relinquentem (matrimonium solvitur); . . non enim potest matrimonium claudicare, cum sint duae relationes, unde si una est uxor et reliquus est vir; ideo autem non tractavit hic (legislator) de relinquente, quia extra ecclesiam est et nihil ad nos de eo iudicare. Est tamen argumentum, quod claudicet, ut hic et extra de eo qui cognov. c. 1. (sc. Alexandri III. statutum, de quo supra mentionem fecimus), sed ut dixi quoad essentiam non potest claudicare, quoad effectum bene, quia quandoque tenetur unus alii, sed non e converso." Quem glossatorem bene distinxisse patet,[1]) quamvis et ipsius modus loquendi parum aptus videatur. Nam quod non est, non potest habere effectum; ergo quod non potest claudicare quoad essentiam, similiter non potest quoad effectum. Idcirco effectus ille, quem parit contractus matrimonii non adest in illis casibus neque in uno, neque in altero, sed adest quidam effectus ex alio capite proveniens; in primo casu ex peccato, quod altera pars commisit excludendo finem matrimonii, quod peccatum in una tantum parte effectum i. e. poenam producit. In altero casu (Alexandri III.) effectus matrimonii attentati est obligatio restaurandi huiusmodi matrimonium renovato consensu,[2]) si altera pars decepta in ea coniunctione, quae sine eius culpa matrimonium non est, permanere velit; hic effectus mediante lege resultat partim ex proprio viri facinore ut poena, partim ex iniuria alteri parti inflicta ut modus restituendi a legislatore praescriptus.

---

[1]) Freisen, Geschichte des canon. Eherechtes, § 26. p. 275.
[2]) Schmalzgrueber, l. c. l. IV. tit. VII. n. 38.

## Caput II.

# De effectu individuitatis contractus.

### § 1. De communicatione inhabilitatis.

7. Omnis contractus, uti vidimus, absoluta gaudet individuitate i. e. pro utraque parte aut validus est aut invalidus. Quid sequitur necessario ex hoc principio? Sequitur contractum pro utroque esse invalidum, quoties alteruter inhabilis est ad valide contrahendum, contractum pro utroque esse validum, si et unus et alter habiles sint ad valide contrahendum. Principium illud, quo Ethica utitur in aestimanda qualitate morali alicuius actus: Bonum ex integra causa, malum ex quovis defectu[1], analogice potest applicari in diiudicando valore alicuius contractus: Validus contractus ex valido utriusque consensu, invalidus contractus ex invalido alterutrius consensu.

8. Consensus autem invalidari potest 1. impedimento aliquo naturali[2], quod contrahentem reddat inhabilem ad paciscendum. Sic inhabiles sunt, qui consensum omnino dare non possunt, aut non manifestare sufficienter, si quem forte habent, veluti infantes, qui rationis usum nondum adepti sunt, amentes, furiosi, fatui, ebrii ebrietate perfecta. 2. impedimento humani iuris; vel ecclesiastici, quod regulares[3], vel civilis[4], quod v. gr. in iure Romano impuberes, interdictos inhabiles fecit ad contrahendum. 3. Interdum ipse contrahens indirecte inhabilis redditur ad contrahendum eo quod lex obiectum contractus cum effectu irritante prohibuit, sicut v. gr. legibus Romanis prohibebantur pacta medici cum aegroto, pacta de haereditate viventis[5] etc.

9. His ita dictis statim apparet contractum posse irritari ab illo legislatore, qui in alterutrum paciscentium habet iurisdictionem, quamvis altera pars minime suo subsit imperio. Nam eo quod personam alterius reddit inhabilem ad contrahendum vel ipsi cum effectu irritante prohibet tale pactum, ipse contractus, qui forte attentatur, nullus est et irritus. Et ita dici potest mediante contractu propter eius individuitatem superiorem alterutrius indirectam acquirere potestatem in alterum contrahentem, qui per se non suberat imperio suo. V. gr. potest princeps subditis suis ratione boni communis commercia cum exteris prohibere atque irrita declarare; ea si forte fiant inania habenda sunt, licet non uterque negotiatorum, sed alter tantum sit subditus legislatoris.[6]

---

[1]) Lehmkuhl, l. c. I. n. 32.
[2]) Wernz, l. c. III. n. 230.
[3]) C. 2. de testam. III. 11. in Sext.; c. 5. de sepult. III. 12. in Sext.
[4]) Arndts, Lehrb. der Pandekten. 14. Aufl. Stuttgart 1889. § 59.
[5]) Arndts, l. c. § 470. Anm. 3.
[6]) Benedict. XIV. Constit. Singulari nobis. Bullarium Bened. XIV. Prati 1846. tom. III. p. 12. § 8.

10. Quae hucusque diximus de contractibus in genere eodem modo applicanda sunt contractui matrimonii. Quodsi duo sunt contracturi, qui diversis legislatoribus etiam quoad contractum matrimonii plene et absolute sunt subditi, matrimonium irritum contrahitur, etsi ex una tantum legislatione impedimentum adsit dirimens. Ita supposito, quod postea probare conabimur, inter infideles principem civilem gaudere iurisdictione quoad coniugia, cum duo infideles ex diversis regnis contrahunt, debent utriusque iure contrahere, alias nuptiae irritae sunt.[1]) Quam ob rem duae potestates possunt plenam habere auctoritatem in uno eodemque matrimonio contrahendo quoad irritandum illud sine ullo conflictu iuridico. Talis conflictus adesset, si duae potestates haberent iurisdictionem in eadem materia sub eodem respectu[2]), sed in casu utraque potestas non est competens in eodem contractu nisi mediante subdito contrahente, quem inhabilem reddere potest ad contrahendum, quamvis altera potestas alterum contrahentem habilem declaret; sed dein utraque potestas concordi sententia contractum ita attentatum debet irritum habere propter naturalem individuitatem contractus. Ergo nullus in hac re invenitur conflictus.[3])

Hinc profluit ecclesiae potestas statuendi impedimentum dirimens disparitatis cultus. Quamvis enim in infidelem nullam habeat iurisdictionem, potest tamen eius matrimonium irritare, si contrahit cum persona catholica.[4]) Eodem modo alia impedimenta iuris mere ecclesiastici, si in tali contractu adsunt, eum irritant v. gr. consanguinitas et affinitas in II. III. IV. gradu lineae obliquae, nisi dispensatum fuerit ab ecclesia.

Etiam intra fines et ambitum unius eiusdemque legislationis individuitas contractus per se semper effectum irritantem producit. Ita v. gr. si quis clericus constitutus in ordinibus sacris matrimonium attentet cum muliere, quae nullo impedimento detineatur, matrimonium nihilominus nullum est propter inhabilitatem clerici.

## § 2. De communicatione habilitatis sive immunitatis.

11. Individuitas contractus quamvis ex natura sua semper producat effectum mere negativum irritando contractum, in quo ex parte alterutrius adest impedimentum dirimens, tamen ex positiva ordinatione legislatoris potest accipere in certis casibus lege expressis effectum positivum, ita ut propter eum, qui immunis est ab impedimento, etiam alter fiat immunis et sic ipsum matrimonium validum.

12. Talem effectum positivum, quem individuitas contractus forte producit ex positiva lege, canonistae nominarunt communi-

---

[1]) D'Annibale III. n. 294. in II. ed. oper. cit. Mediol. 1882.

[2]) de Scherer, Handbuch d. Kirchenrechts. Graz und Leipzig 1886 sqq. II. § 109. not. 42.

[3]) Gasparri, l. c. I. n. 297. contra Resemans, De competentia civili in vinculum coniugale infidelium. 1887. Romae. p. 2.

[4]) Bened. XIV. l. c. — Ergo de existentia impedimenti disparitatis cultus immerito Pesch, Praelectionum dogmat. Friburgi 1897 tom. VII. n. 728, sumit argumentum, ut comprobet in matrimoniis quoad cultum mixtis sacramentum adesse in parte baptizata. Nam supposito, quod infra impugnabimus, rationem competentiae ecclesiasticae esse totam in sacramentali qualitate, nihilominus etiam in matrimonium ita mixtum ecclesia indirectam haberet competentiam, etsi in neutro contrahentium perficitur sacramentum, competentiam scil. ad invalidandum matrimonium profluentem ex individuitate contractus.

cationem privilegiorum.[1]) Revera inter utramque rem magna adest similitudo, praesertim si in comparatione adhibeatur illa privilegiorum communicatio, quae dicitur ad instar in forma accessoria, ubi privilegium uni tantum per se et propter se conceditur, ab illo autem quasi redundat et derivatur ad alios propter connexionem quam habent cum illo, ita ut non in propriis personis censeatur illis concessum privilegium, sed in alio.[2]) Ita et in casu habilitas, qua altera pars contrahens gaudet quoad contrahendum, directe solummodo ipsi inest, sed quasi redundat et derivatur ad alterum propter connexionem, quam habet cum illo per unionem utriusque in uno et individuo contractu. — Et tamen ista terminologia non videtur admodum apta esse. Nam id quod propter individuitatem contractus communicatur, est habilitas ad contrahendum. Quae immerito dicitur privilegium; nam pacisci est de genere permissorum[3]), propterea omnes personae, quae a iure specialiter non prohibentur habiles sunt ad paciscendum, ergo talis habilitas non potest tam generaliter dici privilegium i. e. lex specialis favorabilis.[4]) Revera quando in uno eodemque contractu alteruter impedimento detinetur, alter econtra immunis est, haec immunitas vel ex eo provenit, quod alter non est subditus illi potestati legiferae, quae impedimentum illud constituit, vel quod lex non in toto iurisdictionis districtu vel non pro omnibus fuit promulgata (lex Tridentina de forma matrimonii) vel ex eo, quod impedimentum ortum suum ducit ex iure quodem singulari, quod solummodo ad certas personas pertinet v. gr. ad clericos, moniales. — Quamobrem etiam nomen illud „communicatio exemptionis“[5]) non est undequaque congruens, sed melius diceretur communicatio immunitatis, quia vox „immunitas“ nihil exprimit nisi liberum esse ab omni impedimento quacunque ex causa provenerit. — Ita etiam offensum evitatur, quod in quamplurimis casibus vox illa communicatio privilegiorum continet v. gr. si dicatur matrimonium mixtum propter communicationem privilegiorum non affici impedimento clandestinitatis, quoties pars acatholica non subsit legi Tridentinae, quasi ecclesia privilegia i. e. praemia concessisset pro eo, quod quis fidelis extra ovile suum degit.

13. Legislator quamvis effectu irritante, quem individuitas contractus alterutro impedito natura sua producit, uti possit ad irritandum contractum, sive inhabilitas alterutrius proveniat ex sua, sive ex alia legislatione, tamen individuitate contractus non potest concedere positivum effectum i. e. communicationem immunitatis, nisi impedimentum, quo alterutra pars detinetur, oritur ex propria lege. Nam nullus princeps potest legem alius potestatis, quae (hoc bene notandum) omnino a se independens est, effectu suo privare. Hoc autem fieret, si quis princeps contractum vellet validum declarare, in quo alterutra pars ex alia legislatione erat inhabilis ad valide contrahendum. Ex hoc patet ecclesiam quoad contractum matrimonii communicationi immunitatis locum dare omnino non posse, quoties

---

[1]) v. gr. de Scherer, l. c. II. § 112. XIII. not. 219. Braun, in Archiv für kath Kirchenr. vol. L. p. 348 sqq.

[2]) Suarez, De legibus. Lugduni 1619. VIII. c. 16; cfr. Wernz, l. c. I. n. 160. II b.

[3]) Wernz, l. c. III. n. 229.

[4]) Wernz, l. c. I. n. 158. p. 175.

[5]) Bened. XIV. De Synod dioeces. Parmae 1760. VI. 6. n. 12.

agatur de impedimento aliquo iuris naturae v. gr. si alterutra pars est infans, impotens, amens, coacta, ligata vinculo etc.

14. In iis casibus, ubi obstans impedimentum oritur ex propria legislatione, potestas competens semper potest concedere communicationem immunitatis, sive pars immunis sibi sit subdita, sive non sit. Sic ecclesia potest fideli remittere observationem formae Tridentinae in ineundo matrimonio propter immunitatem infidelis quocum contrahit; posset declarare partem fidelem ab impedimento consanguinitatis a II. usque ad IV. gradum exemptum eo ipso, quod contraheret cum aliqua persona infideli. Porro si agatur de utroque subdito, posset validum habere matrimonium, quod inter monachum et virginem saecularem initur propter communicationem immunitatis ex parte virginis, ita ut impedimentum voti solemnis vim suam retineret tunc solum, quando ex utraque parte existeret v. gr. in matrimonio attentato inter monachum et monialem, inter monialem et subdiaconum.

Quodsi ergo agitur de impedimento iuris humani eoque iuris proprii unice pendet a voluntate legislatoris, quousque individuitati contractus velit concedere effectum positivum. Itaque si huiusmodi effectum concedit quoad aliquod impedimentum, necesse non est, ut eum concedat quoad omnia impedimenta.

15. Poterat superflua videri haec discussio; at cum doctissimi viri parum clare explicant modum, quo operatur individuitas contractus, hac in re commorari non dedignor. Sic v. gr. de Scherer[1]) ita argumentari videtur: Si ex individuitate contractus in aliquo casu proveniret communicatio immunitatis, semper ex ea deberet provenire; interdum autem non provenit, ergo nunquam potest provenire. Nisi enim fallor in tali argumentandi modo fundatur, quod dicit clarissimus ille canonista: „Vom Standpunkte des bestrittenen Grundsatzes der durchgängigen Solidarität des Ehevertrages[2]) ist das Hindernis der Religionsverschiedenheit völlig unbegreiflich, da der nichtgetaufte Contrahent nicht ans Kirchenrecht gebunden ist, seinerseits mit einer christlichen Person anstandslos die Ehe schliessen kann, und nun diese Ehe auch für den christlichen Theil „wegen der Untheilbarkeit des Ehecontractes“ als Ehe gelten müsste. Es ist absolut nicht einzusehen, weshalb die Gültigkeit der Ehe immer vom Standpunkte des milderen Rechtes aus entschieden werden soll; ein favor matrimonii besteht diesbezüglich nicht. — So wenig die Ehe eines Laien und einer Nonne Bestand hat, obwohl von Seite des ersteren kein Anstand obwaltet, so wenig gilt die formlose Ehe zweier Personen, von denen auch nur eine dem tridentinischen Rechte unterworfen ist.“ — Quam ratiocinationem domini de Scherer approbat Saegmueller[3]), imo argumentationis iuridicae specimen praedicat. At

[1]) l. c. II. § 112. n. XIII. not. 215—216.

[2]) Ut terminologiam omnino claram retineamus, iuvat hic advertere, quod principium de individuitate contractus matrimonii (Grundsatz der durchgängigen Solidarität des Ehevertrages) omnino non est controversum, sed ab omnibus agnosci debet, quia est factum iuridicum necessario sequens ex natura contractus, uti supra satis superque demonstravimus.

[3]) Tübinger Quartalschrift. 1899. 4. fasc. p. 475: „Bezüglich des Tridentinischen Dekrets wird abweichend von der gemeinen Lehre in streng juridischer Auffassung gelehrt, dass alle durch das Tridentinum von wegen des Domizils verpflichteten Katholiken mit jeder andern durch das Tridentinum nicht gehaltenen Person nur nach Massgabe jenes Dekrets eine giltige Ehe schliessen könnten.“

nemo non videt id quod ex voluntate legislatoris pendet, posse concedi pro aliquibus casibus, negari pro aliis. Quamobrem praelaudatus auctor ideo videtur infensus esse communicationi immunitatis, quia eos qui talem defendunt pro aliquo casu eam ex sola contractus natura repetere censet; sed repetenda est ex statuto legis. Attamen non paucos defensores alicuius communicationis antiquiores et modernos, qui passim loquuntur de communicata exemptione, quae proveniat ex individuitate contractus, quin ullam faciant mentionem neque legis, quae hanc communicationem statuerit, neque ambitus, pro quo eam statuerit, illi errori ansam dedisse candide concedendum est. Sed de his postea videbimus.

## Caput III.

# De principio communicandae immunitatis in iure matrimoniali catholico.

### § 1. De origine historica eiusdem principii.

16. Postquam in generali disquisitionis nostrae parte de individuitate contractus deque eius effectu mere negativo, quem ex se producit et de effectu positivo, quem ex legislatoris voluntate producere potest, disputavimus, nunc inquirendum est, in quibus casibus de facto legislatores talem effectum ei concesserint. Qua in re quamquam ad nos solummodo pertinet de contractu matrimonii tractare, tamen si bene volumus perspicere, unde in iure matrimonii receptum sit idea communicationis illius, porro quomodo legalem suam existentiam et pro quali ambitu eandem acquisiverit, iuvabit aliquantulum revolvere evolutionem historicam ideae illius.

17. Benedictus XIV. cum in opere suo De Synod. dioecesan.[1]) verbis illis totidem citatis hanc ideam modo forte generaliori, quam unquam prius factum fuerat, pronuntiaret, ad ius civile provocabat. Loquitur enim de exemptione, quae uni ex partibus competit et ad alteram „secundum etiam leges civiles extenditur eidemque communicatur.“ Sane Pontifex sub „legibus civilibus“ intelligit praesertim leges Romanas. Sed si leges Romanas perlustramus ni fallor ne unum quidem exemplum inveniemus, ubi propter contractus individuitatem ipsi contractui concessum sit robur non obstante alterutrius inhabilitate ad contrahendum. Huius sententiae etiam de Scherer fuisse videtur, cum post allata Benedicti XIV. verba „secundum etiam leges civiles“ dubitationis signum (?) interposuerit.[2]) Habetur autem aliqua analogia in l. 10. D. VIII. t. VI.; et haec est illa lex ad quam inde a tempore Conc. Tridentini, ut postea fusius dicemus, omnes fere, qui hanc materiam attingunt, auctores confugiunt; itaque facile intelligitur, quomodo etiam Benedictus XIV. „leges civiles“ in auxilium evocaverit. Ibidem statuitur, ut servitutes, quarum praedium dominans est in proprietate duorum, e quibus alter pupillus est, per non-usum non amittantur, quia propter pupillum et alter viam retineat. In iure enim

---

[1]) l. VI. c. VI. n. 12.
[2]) l. c. II. § 112. not. 219.

servitutes habentur ut iura individua: „servitutes dividi non possunt, nam earum usus ita connexus est, ut, qui eum partiatur, naturam eius corrumpat.“ (Fragm. Pomponii in Corp. Iur. anteiust. Bonnae 1837—1844. p. 168; cfr. l. 17. D. VIII. t. I.)[1])

Sane hic habetur analogia quaedam, nam sicut servitus in casu est ius individuum in duobus existens, ita contractus est res individua ex duobus proveniens, qui commixtione voluntatum eum quasi generant.

Sed quid probatur provocando ad hanc legem? Communicationem immunitatis esse effectum naturalem individuitatis? Minime; imo contrarium. Nam etiam servitus absoluta sua individuitate per se non potest producere nisi effectum mere negativum i. e. si ius perit in altero possessore propter non-usum, etiam perit in pupillo sicut anima individua, si annihilaretur in una parte corporis, esse desisteret in toto corpore. Ergo legis positivae est decernere, an velit individuitati relinquere effectum illum negativum, an, ut in casu, substituere pro eo effectum positivum, ut, propter privilegium pupilli etiam in altero servitus non exstinguatur. Idem optime insinuat glossa „et ego“ l. c.: „quia individuum est; ideoque aut tota retinetur, aut tota amittitur.“ [2])

Econtra Bartolus viam sternit errori canonistarum, cum l. c. legem illam conceptu nimis generali ita complectitur: „In individuis retinet quis per socium, quod per se non potest“; quasi ex individuitate per se et necessario resultaret communicatio habilitatis.

Neque eo sensu potest provocari ad illam normam, quasi inde ius canonicum generaliter assumpsisset principium communicationis: alioquin, ut supra diximus, et matrimonium subdiaconi cum virgine saeculari esset validum.

18. Ad summum itaque ex allata analogia poterat desumi ratio etiam lege canonica pro aliquo casu statuendi communicationem immunitatis. Quam ob rem Benedictus XIV. iure forsitan potuit se recipere ad illud exemplum, ut internam rationem legis consuetudinariae, qua sua aetate communicatio immunitatis in materia legis Tametsi iam introducta fuisse videtur, coniceret; at ii canonistae, qui paulo post concilium Tridentinum ex analogia illa principium communicationis pro iure canonico derivare nitebantur, nimium inde haurire tentarunt.

19. A concilio enim Tridentino in sessione XXIV. de reform. matrimonii cap. 1. statutum erat, ut matrimonium contraheretur „praesente parocho“ etc. i. e. praesente proprio contrahentium parocho, ut ex contextu apparet, nam ita in eodem capite paulo antea, ubi de bannis agebatur, parochus ille accuratius determinabatur. Itaque canonistarum, qui de decreto illo Tridentino agebant, erat inquirere, quisnam[3]) esset ille parochus proprius contrahentium, cuius assistentia sic requirebatur, ut contractus matrimonii sine ea nullus declararetur

---

[1]) Puchta-Krueger, Institutionen. II. Leipzig 1893. f. 273. — Dernburg, Pandekten. Berlin. 1900. I. 2. § 241.

[2]) Exemplum, ubi propter individuitatem alicuius rei ius, quod eius parti inhaeret, perimitur, habes, si lege quadam vectigali statuitur, ut res commistae vel confusae (v. gr. in una navi) teloniis subiciantur, quamvis aliqua pars per se fuerit immunis a solvendis teloniis. Cfr. de tali lege Hollandiae Vogt Commentar. in Pandectas. Neapoli 1827. l. 39. t. 1. n. 30.

[3]) Schmalzgrueber, l. c. IV. III. n. 134.

et irritus. Qua in disquisitione statim emergebat et illa quaestio, an, si ad diversas parochias sponsus et sponsa pertinerent, utriusque parochus deberet assistere. Responsum non erat difficile;[1]) cum enim concilium de uno tantum parocho loqueretur,[2]) non poterat dubitari, quin alteruter parochus sive sponsae sive etiam sponsi sufficeret ad testificandum matrimonium. Hic tenor verborum S. Synodi iam a Pontio ut „potissima ratio“ ad confirmandam unius parochi sufficientiam habetur. Sed poterat opponi expresse iure[3]) esse statutum, ut unusquisque sacramenta recipiat a proprio parocho; itaque non posse praesumi iuri huic parochiali Concilium derogare voluisse quoad matrimonium, quin hoc expresse declaravisset.[4]) Quodsi autem sponsi ad diversas parochias pertinerent, utrumque habere suum proprium parochum; ergo, cum a tali deberet benedici matrimonium, in casu utriusque parochi assistentiam requiri. Hanc obiectionem ut refellerent, canonistae provocabant ad specialem huius sacramenti naturam. Nam cum sit contractus natura sua individuus, utrumlibet non posse suscipere hoc sacramentum, quin et alter illud susciperet et ita ratione connexionis utrumque contrahentem fieri quoad contractum matrimonii subditum utriusque parochi. Quod ut per exemplum ex iure civili depromptum probarent vel rectius illustrarent ad legem supra citatam de servitute alicuius fundi communis confugiebant. Ita v. gr. iam haud obscure Petrus de Ledesma[5]) in opere quod 1592 prodiit: „Advertunt iuris periti, quod in illo casu etiam quantum ad illum effectum sponsa censetur subdita proprio parocho sponsi.“ Expressius Lopez de Salzedo,[6]) Sanchez,[7]) Pontius.[8]) — Ex his quae diximus apparet a praelaudatis canonistis individuitatem contractus solummodo adhiberi, ut probent patres Tridentinos revera alterutrius parochum voluisse sufficere ad benedicendum matrimonium neque aliquid derogasse competentiae exclusivae parochorum, qua gaudent quoad sacramenta; quia matrimonium specialem habeat indolem. Ergo nullo modo contractus naturae id tribuunt, quod alterum contrahentem liberet ab obligatione contrahendi coram proprio parocho, sed id tantum affirmant patres Concilii alterum liberasse ab obligatione advocandi proprium parochum, quando sponsi in diversis parochiis domicilium habent. Quam Concilii intentionem repetendam esse ex verborum tenore et ex individuitate contractus. Quod ut confirment omnes laudati scriptores etiam provocant ad leges quasdam Roma-

---

[1]) Quamobrem unicum parochum sufficere nunquam in dubium vocatum est; controversia erat, an etiam parochus viri in omni casu proprius habendus esset. Qua in re etiam S. Congr. Conc. variata esse videtur. Lopez de Salzedo, Practica criminalis canonica IV. ed Compluti 1604. add. 14. ad cap. 73.; cfr. Navarrus, Manuale confessor. Rom. 1588. c. 25. n. 144.; Fagnani, Commentaria, Venetiis 1764. in IV. Decr. De cland. desp. c. 2. n. 33.

[2]) Eodem tenore verborum quoad banna publicanda utrumque requiri parochum sequitur ex fine legis. Schmalzgrueber, l. c. n. 142.

[3]) c. 1. Clement. l. V. tit. 7.

[4]) apud Sanchez, De matrimonio. Venetiis 1693. lib. III. disp. 19. n. 4.

[5]) De magno matrim. sacramento. Salmanticae. 1592. in addit. ad III. p. S. Th. qu. 45. a. 5. p. 191.

[6]) l. c.

[7]) l. c.

[8]) De sacram. matrim. edit. II. Bruxellis. 1627. l. V. c. 16. n. 2. similiter Schmier, l. c. lib. IV. tract 3. c. 5. n. 91; Schmalzgr. l. c. n. 140.

nas[1]) et quaedam Decretalia[2]) quibus ostendant principium esse iuris re concessa omnia necessaria ad eam comparandam concedi; ergo cum proprio parocho committatur, ut suum parochianum matrimonio coniungat, eidem etiam concedi, ut alienum parochianum cum suo coniungat, cum haec necessaria connexa sint.[3]) — Ex quibus evidenter apparet in hac re nullum esse sermonem de aliqua communicatione immunitatis, quam individuitas contractus per se et natura sua operetur. Neque quando auctores[4]) affirmant matrimonium vagi coram parocho commorationis valide contrahi posse, etsi altera pars domicilium habeat, et pro argumento passim individuitatis principium commemorant, eidem ut Braun[5]) putat ullum alium effectum adiudicant praeter eum, quem ex verbis Concilii habet. Nam parochus proprius vagi est parochus commorationis[6]), ergo coram eo ut parocho alterutrius matrimonium iniri potest.

20. Nihilominus hanc fuisse viam credo, qua doctrina erronea irrepserit individuitatem contractus per se communicare immunitatem alterutrius alteri parti alias non habili ad contrahendum. Sane hoc principium non asserebatur generaliter, quia alias ut iam supra innuimus, etiam subdiaconus liber erat dicendus ab impedimento ordinis sacri, si cum laica virgine contraheret etc. sed asserebatur pro ambitu legis Tridentinae de forma essentiali matrimonii. Dico sententiam hanc irrepsisse, cum revera apud canonistas introducta esse videatur conclusione quadem, quam erroneam esse omnino non adverterent. Nam cum semel provocatum esset ad principium individuitatis contractus ad interpretanda et declaranda verba Synodi de unico „parocho" pro assistentia requisito, statim idem principium etiam applicabatur ei casui, ubi altera pars contrahentium immunis erat ab observanda forma Tridentina, altera vero eadem obligabatur. Etiam pro tali casu contendebatur matrimonium validum esse, etiamsi clandestine contraheretur idque propter individuitatem contractus, qua immunitas alterutrius alteri communicaretur.

Conclusionem huiusmodi prima vice non fecit van Espen († 1728) de quo nonnulli Benedictum XIV. principium illud deprompsisse dixerunt, neque Engel († 1674) ut opinari videntur de Angelis[7]) et Feije,[8]) sed ab ipsa S. Congregatione Concilii insinuatam esse crediderim, quatenus haud ita multum post celebratum Concilium responsum dedisse fertur, quod nonnisi ea conclusione fulcitur.

Farinacci[9]) enim in IV. volumine[10]) „Decisionum novissimarum

---

[1]) L. 2. D. De iurisd. omn. Iudic.

[2]) Cap. 5. X. I. 29. De offic. deleg.

[3]) Ita Sanchez l. c.; similiter Salzedo, Segura, Pontius ll. cc., Spino, Speculum testamentorum 1600 gloss. 15. n. 41. Pirhing, Schmalzgrueber ll. cc. etc.

[4]) Schmalzgrueber l. c. n. 164.; Barbosa, De officio et potestate Episcopi. Part. II. alleg. 32. n. 76. Lugduni 1650; Reiffenstuel, Ius Canon. Universum. Venetiis 1778. h. tit. n. 89.

[5]) Archiv f. kath. Kirchenr. vol. L. p. 348. sq.

[6]) Schmalzgrueber, l. c. n. 163.

[7]) de Angelis, Praelectiones Iuris Canon. Romae 1880. h. tit. pag. 109.

[8]) Feije, De impedimentis et dispensationibus matrimonialibus. ed. IV. Lovanii 1893. n. 316. not. 1.

[9]) ad verba Concilii „irritos facit et annullat" in edit. Coloniae 1610. p. 192.

[10]) Quod volumen a. 1609 prohibitum est, quia in titulo falso dicebatur continere declarationes Concilii Tridentini itaque constitutioni „Benedictus Deus",

Rotae", quod prima vice ante annum 1609 vel hoc ipso anno prodiit, decisionem S. Congregationis Concilii affert ex anno 1588. Dubium refert propositum fuisse „quid faciendum cum duo clandestine contrahunt aut contraxerunt et in unius parochia publicatum fuit decretum, in alterius non item, in quo contrahunt simul." [1]) S. Congregationem respondisse „non obligare decretum nondum in ea parochia, ubi contrahitur, publicatum." Quodsi genuinum est hoc responsum, hic prima vice individuitati contractus tribuitur effectus natura sua communicandi immunitatem; etsi hoc principium in responso non expresse pronuntiatur, tamen scriptores hac innixi decisione illud principium modo omnino erroneo excoluerunt. Qua in re primus ni fallor erat Pontius, qui in opere suo de Sacramento Matrimonii, quod prima vice 1624 prodiit, cum in c. 16. libri V. sub n. 2. ex individuitate contractus provocando ad cit. legem de servitutibus communiter possessis alterutrum parochum ad assistendum sufficere declaraverit, in eodem capite sub n. 15. pergit: „Ultimo colligitur si unus ex contrahentibus sit ex parochia, in qua nondum publicatum est decretum Tridentinum aut non sunt elapsi triginta dies a publicatione, alter vero sit ex parochia, in qua iam publicatum est atque receptum, si contrahant in priori parochia, non esse necessariam assistentiam parochi alicuius. Sic video respondisse Cardinales apud Farin. circa illa verba etc." Ita cum verbo „colligitur" internam rationem huius conclusionis i. e. individuitatem contractus de qua antea sermonem fecerat, indicaverit, ut externum argumentum responsum illud S. Congregationis ex Farinacci depromptum affert.

Clarius denique Engel in „Collegii universi iuris canon." libro IV., qui a. 1674 primum prodiit, [2]) principium illud pronuntiat: „Si quidam ex loco recepti concilii excurrat ad locum non recepti concilii et ibi contrahat cum incola illius loci, pariter valebit matrimonium; cum enim contractus matrimonii sit individuus regulatur secundum locum uniuscuiuslibet ex contrahentibus. Sicut aliunde constat proprium parochum sponsi esse etiam proprium sponsae, si ex diversis parochiis sint desponsati." — Verba haec ultima, quae pro probatione adiungit satis ostendunt, quod supra diximus, principium illud introductum esse per conclusionem, quam falsam esse omnino non advertebant. Sine ullo enim scrupulo Engel argumentatur: „Sicut aliunde constat etc." Tamen satis superque supra demonstravimus omnino aliud esse per principium individuitatis contractus iustificare et interpretari decretum concilii, quod unico contentum fuerit parocho assistente, aliud est individuitati

---

qua Pius IV. 26. Ian. 1564 omnis interpretationis genus super decretis eiusdem Concilii interdixerat, adversari videbatur. Fagnani l. c. c. 12. X. de iudiciis, n. 9. sq. — Hurter, Nomenclator litterarius recentioris theolog. cathol. I. n. 189. pag. 231.

[1]) Eadem decisio traditur a Gallemart, Sacrosanct. Concilium Trident. additis declarationibus Cardinalium; ex ultima recensione cum citationibus Io. Sotealli et remissionibus Aug. Barbosae. Lugduni 1631; hic etiam liber prohibitus est. a S. Congr. Card., quia multas aut suspectas aut sane non authenticas declarationes contineret (Hurter, l. c. pag. 329 in not. 2.); item a Wamesio, Responsorum sive Consiliorum de Iure Ponteficio tom. II. Lovanii 1618 in addition. II. ad. consil. 29.

[2]) Hurter l. c. II. vol. n. 85. pag. 250; mihi prae manibus est editio Venetiis 1693 publicata.

contractus adscribere eum effectum, ut per se alteri parti communicare possit immunitatem, qua alteruter gaudet quoad legem Tridentinam.

21. Inde a temporibus Patris Engel passim nobis occurrit opinio illa de communicatione immunitatis et magis magisque confidenter profertur; ita a Reiffenstuel[1]) († 1703) qui addit: „Caret controversia", item a Schmalzgrueber[2]) († 1735), qui ita satis convenire inter Doctores affirmat lectoremque remittit ad Engel, Wiestner, Reiffenstuel.

Non deerant tamen, qui quamvis re idem docerent (probabiliter propter illud responsum, quod a S. Congr. Card. emanasse ferebatur) tamen rem aliter explicare studerent. Qui provocabant ad regulam contractuum: Locus dirigit actum;[3]) ita Gobat[4]) et eum secutus Wiestner:[5]) Sed quidquid sit de celebri illa controversia,[6]) quatenus illa regula etiam quoad legem clandestinastis in contractu matrimonii vigeat, certum est hac regula validitatem alicuius matrimonii, quod in loco non-Tridentino (brevitatis gratia liceat sic dicere) contrahitur ab incola huiusmodi loci cum altera parte, quae in loco quodam Tridentino domicilium retinet in quamplurimis casibus non posse explicari. Nam in tali casu ex communiter contingentibus pars, quae in loco Tridentino domicilium habet, in illum locum, ubi Tridentinum non viget, proficiscetur ad matrimonium contrahendum itaque ex declaratione S. C. C. de 5. d. Sept. a. 1626, quae ab Urbano VIII. d. 14. Aug. 1627[7]) Brevi confirmata fuit, quia fraudulenter egit, per se remaneret inhabilis ad clandestine contrahendum et nonnisi communicatione immunitatis potest fieri habilis, id quod a Gobat et Wiestner aliisque, ut mox videbimus, non satis prae oculis habitum est.

22. Maiorem celebritatem idea communicationis nacta est per Benedictum XIV., qui eadem uteretur ad definiendam illam controversiam de matrimoniis mixtis in Hollandia et Belgio clandestine celebratis. Quae controversia erat appendix quaedam et complementum alterius controversiae sc. de validitate matrimoniorum, quae ibidem ab acatholicis clandestine inita fuerant inde ex eo tempore, quo regiones illae rebellione facta sub ditionem principis acatholici venerant. Qua in re quibus valida esse videbantur matrimonia ab acatholicis ibidem clandestine inita, statim sese offerebat altera quaestio, quid tunc iuris esset quoad matrimonia mixta. Non deerant qui huiusmodi matrimonia irrita esse censerent idque propter individuitatem contractus, quia etsi pro parte acatholica lex Tridentina in aliquo loco non vigeret, tamen „fidelis iuxta ecclesiae statuta et leges ad validum contractum

---

[1]) l. c. IV. III. n. 121.
[2]) l. c. IV. III. n. 108.
[3]) cap. ult. X. lib. II. De foro comp.
[4]) Experientiae theologic. Einsiedeln. 1678. ed. III. tr. IX. n. 479.
[5]) Institut. canonic. Monachi 1706. lib. IV. tit. I. n. 164—165.
[6]) cfr. Feije l. c. n. 338.;. Gasparri l. c. II. n 985.; Scherer, l. c. II. pag. 211. not. 218.; Wernz, Analect Ecclesiast. 1899. fasc. V. p. 196. ubi dicit: „sententia (quae tenet matrimonium a duobus qui domicilium in loco Tridentino retinentes in loco non-Tridentino clandestine contrahunt, quin ibi domicilium vel quasidomicilium acquisiverint nullum esse) cum a S.C.C. et S.C. Inq. in compluribus declarationibus nullitatis matrimonii fuerit adoptata, ita certa evasit, ut contraria omnem probabilitatem amiserit (et) nunc rebus antiquatis (sit) adnumeranda."
[7]) Brev. Exponi in Bullar. Taur. XIII. p 591. sq.

requisitas contrahere debet".[1]) Sed communior sententia iam saec. XVII. pro validitate stetisse videtur. Sed qua ratione? Ex iis, quae diximus a priori patet rationabiliter aliud argumentum non potuisse adduci nisi communicationem quamdam immunitatis iure fortasse stabilitam; videamus, quibus rationibus de facto sententiam suam defenderint ii qui validitatem propugnarent.

Exstant duae dissertationes, quae ex professo de hac materia tractant et sub finem saec. XVII. conscriptae sunt. [2]) De quibus ab initio praenotandum utrumque auctorem rem ita construere, ut decretum Tametsi vigere in parochiis catholicis Belgii etc, non vigere in parochiis acatholicis affirmet. Itaque parti acatholicae immunitatem concedunt „ratione loci in quo habitat" non autem „ratione societatis in qua vivit", ut iam hic terminologia Benedicti XIV. utar. Ergo, ut ipsi recte advertunt, re ita constructa in matrimonio mixto, quod in parochia acatholica coram ministro acatholico contraxisse supponunt, idem casus habetur atque ille de quo sermo est in decisione illa S. C. C. ex anno 1588 [3]) ac proin validitas matrimonii ita contracti. Rationem autem intrinsecam illius decisionis non aliam existere posse quam communicationem quandam immunitatis non advertisse videntur, imo Stalenus argumentationem illam ex principio „locus regit actum" adhibet, quae uti supra demonstravimus cum constitutione Urbani VIII. in quamplurimis casibus consistere non potest, id quod mentem auctoris minime effugit, qui illius constitutionis vim et efficaciam frustra restringere conetur. [4])

Ita etiamsi in explicanda intrinseca ratione minus fortunati existant, tamen clare testantur rem ipsam, quae nisi ex communicatione quadem immunitatis consuetudine introducta explicari non potest, sc. communem sententiam ex S. Congregationis Conc. decisione [5]) et privatis declarationibus, ex virorum doctorum votis [6]) ex parochorum communi praxi [7]) resultantem matrimonia illa valida esse si in

[1]) Marchantius O. Min., Tribunal sacramentale et visibile animarum in hac vita mortali. Gandavi 1643. tom. III. p. III. tr. I. tit. 7. qu. 10.

[2]) Ioannes Stalenus, An matrimoniales contractus in illis Germaniae et aliorum regnorum aut provinciarum locis in quibus viget pax publica religionis et decretum Tridentinum est publicatum coram acatholicis ministris sint validi. Coloniae 1677. — et

Henricus Holst, Thesis theologica de sponsa duorum sive de muliere catholica a ministro acatholico duobus successive alteri acatholico alteri catholico copulata. Quae disciplina circa illam servanda in usu sacramentorum poenitentiae et eucharistiae. Quam praeside Mart. Henr. de Swaen defendit Hermannus Henr. Holst Ootmarsiensis. In Collegio S. Willibrordi et Bonifacii vulgo Alticollensi. D. 11. Aug. 1690. Lovanii.

[3]) vid. p. 25.

[4]) „Rescriptum illud Urbani VIII. sufficienter servatur pro dominio temporali Electoris Coloniensis (ad cuius instantiam decisio S. C. C. postea Brevi Pontificis firmata et extensa prodierat), non autem extendi debet salva pace Religionis ad alia loca ecclestiacicae iurisdictionis extra dominium politicum ad universalem confusionem evitandam. Ita salvo meliori doctorum et maxime auctoritatis Pontificis iudico." pars poster. c. V. p. 54 sqq.

[5]) S. Congregationem episcopo Castoriensi ca. 1671 „expositis sententiae suae in hoc motivis" respondisse „faceret ipse quod magis in his regionibus congrueret". Holst l. c. vel etiam van Espen l. c.

[6]) „Plures ex Religiosis et inter illos etiam P. P. Societatis eidem sententiae praxique se conformare" asserit Holst.

[7]) „Presbyteri de Clero eos qui coram ministro vel magistratu acatholico coniuncti sunt et quorum pars altera est catholica passim non sole[a]nt de novo coniungere." id. l. c.

parochia acatholica coram ministello contrahantur. Ita praesertim Holst optime insinuat eam quam nos infra pro nostra saltem aetate demonstrabimus „diuturnam consuetudinem" iam tunc temporis „videntibus scientibusque ecclesiae superioribus" introductam fuisse i. e. consuetudinem iuris.[1])

Quod obscure tantum insinuasse vidimus alios, id expresse proclamavit Benedictus XIV.[2]), qui communicationis ideam clarius et generalius pronuntiavit, quam ullus ante eum auctor, idque in commentario ad Declarationem suam de d. 4. Nov. 1741, quae incipit „Matrimonia",[3]) qua matrimonia, quae in regionibus Hollandiae et Belgii ab acatholicis inter se vel a catholicis et acatholicis contracta forent clandestine, valida pronuntiabantur. Res antea serio discussa fuerat in S. C. C. praesertim quoque relate ad alteram quaestionem, sc. an, si valida declararentur matrimonia inita ab acatholicis inter se, simili modo etiam valida declaranda essent matrimonia mixta. Qua de re quinque vota conscripta sunt a totidem viris doctis, e quibus duo suffragia dederunt pro invaliditate matrimoniorum, quae in illis provinciis mixta religione clandestine ineuntur; unus ea valida censuit in casu, quo in loco contractus deest parochus catholicus, alii duo pro absoluta validitate steterunt. Sed eorum alter, ipsius S. C. C. Secretarius tale suffragium dedit, quia in illis locis decretum Tridentinum ne pro catholicis quidem promulgatum esse censebat; alter solus haud obscure provocat ad communicationem immunitatis consuetudine introductam censens „quod si matrimonia inter haereticos valida sint, talia esse debeant etiam in eo casu, quo altera pars est catholica, tum ex consuetudine, tum ex plurium Doctorum sententia."[4]) Deinde cum res in ipsa S. Congregatione coram Smo habita d. 13. Maii 1741 tractaretur, omnes qui intererant, pro validitate suffragium dederunt. Quod refert ipse Benedictus XIV. in libro VI. cap. 6. n. 12. praeclari sui operis De Synodo dioecesana, ubi dein generalibus verbis format ideam communicationis. Ita Pontifex: „Sensu igitur quaestionis explanato concordibus suffragiis in eam sententiam itum est, quod sicuti valida declarata fuerant ea matrimonia, quae in praedictis Foederati Belgii provinciis inter duos contrahentes haereticos sine parochi praesentia inita essent, ita valida dici deberent illa, quae in iisdem locis inter duas partes alteram catholicam et alteram haereticam eodem modo contracta forent; quoniam cum coniugum alter, tum ratione loci, in quo habitat, tum ratione societatis in qua vivit, exemptus sit a Tridentinae Synodi lege; exemptio qua ipse fruitur, alteri parti communicata remanet propter individuitatem contractus, vi cuius exemptio, quae uni ex partibus competit, ad alteream secundum etiam leges civiles extenditur, eidemque communicatur."

---

[1]) „Ex quibus omnibus fit iterum manifestum non longo tantum usu idque sciente S. Sede similia matrimonia in provinciis Foederatis frequentari sed omnino praesumendum quoque esse de tacita eiusdem dissimulatione seu conniventia, qua velit ob rationes varias non impedire, quominus illa hodie pro validis reputentur." Holst l. c.

[2]) De Synod. dioec. VI. 6. 12.

[3]) Bullar. Bened. XIV. Prati tom. I. p. 111—113.

[4]) De Roskovany, De matrimoniis mixtis. Quinque ecclesiis. 1842. tom I. § 49.: Feije l. c. n. 316.

Declaratione Benedicti XIV. eiusque commentatione principium communicationis novam obtinuit applicationem, diversam ab ea, quam habuit in casibus, in quibus altera pars immunis erat a lege Tridentina ratione loci, in quo domicilium haberet et contraheret (sive utraque parte sive altera tantum catholica existente); in hoc casu ratione loci neuter contrahentium immunitate illa gaudet. Nam in illis regionibus pars catholica ubique et in quavis parochia subesse legi Tridentinae expresse declaratur, ergo per se semper remanet inhabilis ad contrahendum clandestine. Itaque cum in aliis casibus saltem interdum iure forsitan possit provocari ad principium „locus regit actum" (sc. si altera pars non ad contrahendum in parochiam immunem transmigraverit), ad explicandam validitatem in hoc casu nullo modo et nunquam potest confugi ad principium illud de loco contractus neque validitas aliter explicari, quam communicatione immunitatis.

23. Inde a temporibus Benedicti XIV. usque ad nostram aetatem communicatio illa immunitatis pro ambitu impedimenti clandestinitatis communiter admittitur v. gr. ex modernioribus a Kutschker,[1]) ab Aichner,[2]) Vecchiotti,[3]) Feije,[4]) Gasparri,[5]) Braun,[6]) Heiner,[7]) De Angelis,[8]) Santi-Leitner[9]) etc., quamvis non pauci principium illud cum aliqua suspicione tractare videantur, dum ex una parte aliquid falsi in eodem magis sentiunt quam demonstrant, ex altera parte propter practicas rationes eidem contradicere non audent. Ita Schnitzer,[10]) Aichner.[11]) De Scherer denique, quem Saegmueller sequi videtur, primus communicationis principium absolute impugnat. Inquiramus itaque, an et unde individuitas contractus in iure canonico pro aliquibus casibus acquisiverit effectum communicandae immunitatis.

## § 2. De disciplina vigente.

I. De communicatione immunitatis in matrimoniis mixtis.

24. Cum individuitas contractus per se et natura sua nunquam possit immunitatem alterutrius alteri parti communicare, errore introducta fuit in scientiam ista sententia, quae individuitati contractus talem vindicat effectum. Itaque omnes auctores, qui usque ad nostram aetatem validitatem quorundam coniugiorum simpliciter ex individuitate contractus derivant, etsi forte rem recte perspexerint, tamen verbis errorem illum fovent. Qua in re sincere concedendum est etiam Benedictum XIV. modo nimis generali et absoluto, quo illud principium pronuntiaverit, propter auctoritatem, qua gaudet inter canonistas, errorem illum multum promovisse. Quo accidit, ut in multorum

---

[1]) Das Eherecht der katholischen Kirche. Wien 1856. I. p. 515.
[2]) Compendium Iuris ecclesiastici. Brixinae. 1895. p. 666.
[3]) Institutiones Canonicae. Aug. Taurin. 1883. III. t. p. 217.
[4]) l. c. n. 318.
[5]) l. c. II. n. 963.
[6]) l. c. in „Archiv f. k. K."
[7]) Grundriss des kathol. Eherechts. Münster. 1895. p. 141.
[8]) l. c.
[9]) Praelectiones Iur. Can. Ratisbonae 1899. lib. IV. p. 131.
[10]) Kathol. Eherecht. p. 180. n. 1.
[11]) l. c. p. 666. et ibid. not. 23.

mentibus inolesceret persuasio principium illud esse quasi iuris naturalis, ita ut a potestate humana contrarium non posset statui. Revera cum a. 1890. Romae ageretur de aliqua exceptione ab hoc principio stabilienda aliqui viri docti, ut mihi referebatur, dubia moverunt, an ecclesia posset contrarium statuere; ita error de indole talis principii illis viris in sucum et sanguinem abierat. Ipsum autem legislatorem recte hoc principium non habuisse nisi iuris humani, rei eventus i. e. decretum S. Officii pro insula Melitensi[1]) deinde emanatum, clare ostendit. De quo decreto infra.

Quodsi ergo de Scherer falsam de origine illius principii opinionem refutare contentus fuisset, optime meritus esset de hac re dilucidanda. Sed ulterius progressus individuitati contractus omnem effectum positivum negavit: „Auf Grund der Fassung des tridentinischen Decrets wird mit Fug und Recht dessen Verbindlichkeit für alle von wegen ihres Domizils demselben unterstehenden Katholiken in der Weise behauptet, dass dieselben überhaupt, auch mit Personen, welche ausserhalb des tridentinischen Geltungsgebietes ihren Wohnsitz haben, nicht anders als nach Massgabe jenes Decrets eine giltige Ehe schliessen können.“ [2]) Et alibi: „Die oft behauptete Connexität der Behandlung gemischter und rein protestantischer Ehen ist nicht begründet.“ [3])

25. Nobis itaque nunc ostendendum erit individuitatem contractus non quidem per se, sed ex lege ecclesiae immunitatis communicationem producere, quoties contrahentium alter immnunis est ab impedimento clandestinitatis dirimente, alter vero hoc impedimento detinetur. Quod accidere potest triplici modo 1) si altera pars in loco non-Tridentino domicilium habet, altera vero in loco Tridentino, et in isto loco matrimonium contrahitur; 2) si altera pars est vaga, altera vero in loco Tridentino domicilium fovet matrimoniumque contrahitur in loco non Tridentino, ubi pars vaga ad tempus commoratur; 3) si utraque pars domicilium tenet et contrahit in loco Tridentino, ubi alterutra pars ut acatholica non ligatur lege Tridentina.

26. At qua lege ecclesiastica individuitas contractus talem effectum acquisivit? An fortasse lege quadam scripta? Difficulter quis hoc probaret. Verba enim illa Benedicti XIV., quibus pronuntiat principium communicationis minime habent, ut recte notat de Scherer, legis indolem; nihil enim aliud sunt, quam commentarius quidam privatus, quem Prosper Lambertinus scripsit in Declarationem Matrimonia Benedicti XIV. Quod ex libri, in quo reperiuntur, indole, quae ab auctore in Praefatione operis satis circumscribitur, clare patet. Illis verbis auctor nihil efficit, quam ut ostendat, quae fuerint causae, quibus adducerentur Cardinales S. C. C., ut Declarationem ad matrimonia etiam mixta extendendam suaderent, ipse, ut revera eam eo

[1]) Wernz, Analect. Ecclesiast. fasc. V. p. 196. n. 58. — Mifsud, La deroga all' impedimento di clandestinità in Malta. Roma 1891. p. 104: „Il principio dell' individuità del contratto essendo uno statuto del gius positivo non impedisce che la Chiesa possa legare la parte cattolica in modo che non valga validamente a contrarre matrimonio con un acattolico se non osservando la norma Tridentina, benchè quegli ne abbia dispensa dalla Chiesa stessa.“ cfr. Boeckenhoff, l. c. p. 490. not. 1.

[2]) l. c. II. p. 210.

[3]) l. c. not. 219. cfr. not. 242.

usque extenderet. Nisi ergo aliunde illud principium legalem existentiam acquisivisset, cum Huebler[1]) consequenter dicendum esset, idem ibi tantum valere, quo Declaratio Benedictina extenta fuit.

Praeter Benedictum XIV. alii pontifices iique ut pontifices hoc principium pronuntiarunt et applicarunt ut postea videbimus. Neque tamen ex eorum effatis lex potest derivari, cum semper ageretur de casu aliquo particulari; quodsi autem „Pontifex iudicis personam sustinet in decidendis litibus mere privatis eius sententia ordinarie vim legis universalis non habet, quia ferendo sententiam in particulari causa non fungitur munere supremi legislatoris ecclesiae universae ex potestate summa ad regendum populum Christianum sibi concessa.“ [2])

Quod magis valet de decisionibus, responsis, sententiis Sacrar. Congregationum, quae communicationis principium expresse vel implicite admittunt. Cum enim supremus legislator, quando ut iudex pronuntiat, legem ferre non velit, tribunalia illa Romana propter competentiae defectum legem ferre universalem non possunt.[3]) Casus autem in quibus SS. Congregationes usi sunt illo principio utplurimum erant iudiciales. Sed etsi aliquando in responsione quadam ad dubium propositum generaliter decisum fuerit „validum esse matrimonium in parochia mulieris, ubi dictum decretum non erat publicatum, non servata forma eiusdem, etiamsi in parochia viri praedictum decretum fuerit publicatum“,[4]) neque tale responsum habet legis indolem, quia deest promulgatio ex ordinatione Pontificis facienda, ut interpretatio alicuius legis Tridentinae propter dubium obiectivum petita et data, legis indolem acquirat.[5])

27. Ex his quamvis constet lege scripta nil definitum esse de principio communicationis, tamen non debet concludi rem nondum definitive diremptam esse per Apostolicam Sedem.[6]) Quod enim definitum non est scripta lege potest esse decisum et statutum lege consuetudinaria.

28. Consuetudo iudicialis est mos iudiciorum longa constantique praxi firmatus. Quodsi mos iste refertur ad materiam sententiarum iudicialium, quae de una eademque re uniformiter prodierunt, appellatur auctoritas rerum similiter iudicatarum. Quae quamvis in iure Canonico per se legis vim non habeat, ex altera tamen parte, ut Wernz[7]) advertit, maioris est momenti, quia in ecclesia idem est supremus legislator et iudex. Itaque dummodo de vera et qualificata uniformitate sententiarum constet, de consensu supremi legislatoris sc. Romani Pontificis, quo consuetudo facti fit consuetudo iuris, dubium amplius esse non potest, cum sententiae, quae in Curia feruntur, Pontificis scientiam effugere non possint, imo in casibus difficilioribus et aliquantulum ambiguis ab eodem in forma

---

[1]) Eheschliessung und gemischte Ehen in Preussen nach Recht und Brauch der Katholiken. Berlin 1883. p. 29—30.

[2]) Zech, Praecognita Iuris Canon. Ingolstad. 1749. § 208.

[3]) Wernz, l. c. II. n. 654. III. D' Annibale l. c. I. n. 184. not 5.

[4]) Pallottini, Collectio omn. conclus. et resolut. S. C. Conc. Romae 1868—93. tom. XIII. „Matrimonium“ § 15 n. 111.

[5]) Wernz, l. c. II. n. 145. Hinschius, System des kath. Kirchenrechtes. III. vol. p. 788. not. 11.

[6]) de Scherer, l. c. II. not. 215.

[7]) l. c. I. n. 187. II. c.

saltem communi approbantur.[1]) Itaque etsi ad consuetudinem iuris legalis [2]) consensus legislatoris sufficiat, tamen ex natura rei quoties de vera consuetudine materiali constat, tacitus consensus praesumi debet.

Qua in re ut possimus iudicare, an vera adsit consuetudo iudicialis, si qua invenitur uniformitas sententiarum de quadam re, bene attendenda sunt etiam in foro ecclesiastico, quae succincte et clare docet Zech[3]) de auctoritate rerum similiter iudicatarum sive de praeiudiciis. „His praeiudiciis locus esse potest, quando tot habentur pariformes sententiae et eo modo prolatae, quae sufficiant ad hoc, ut consuetudinem legitimam introductam esse iudicare possimus.“ Quibus verbis duas requirit conditiones, ut sermo esse possit de veris praeiudiciis; primo, ut tot habeantur pariformes sententiae, quae sufficiant etc. Quodsi non satis contentus termino illo nimis vago „tot“, requiris, quot esse debeant, certe non est respondendum cum Reiffenstuel[4]) et Bouix[5]) duas intra decennium prolatas sufficere neque omnino certo alicui numero nimis formaliter est insistendum, uti advertit Suarez[6]) in nota ad L. 38. D. De leg., ubi „in ambiguitatibus, quae ex legibus proficiscuntur, consuetudinem aut rerum perpetuo similiter iudicatarum auctoritatem vim legis obtinere debere“ statuitur: „Illa particula perpetuo non significat annorum numerum, sed concordiam sententiarum perpetuam i. e. sine varietate aut repugnantia earum inter se.“

Alterum quod teste Zech[7]) requiritur est id, ut non habeantur qualescumque pariformes sententiae, sed eo modo prolatae, quae sufficiant ad consuetudinem introducendam. Quomodo hoc intelligat, exponit paulo inferius: „Nimium certe ab aliquibus iactatur praxis empirica solis praeiudiciis nixa, quae si rationem ex theoria desumptam non habeat comitem seu potius magistram, millenis erroribus est obnoxia.“

29. Duplicem conditionem modo expositam, quae requiritur in praeiudiciis, ut veram inducere possint consuetudinem iudicialem, verificari in sententiis tribunalium Romanorum quoad principium communicationis nunc ostendendum est.

30. Per tempus satis longum principium illud applicatum fuisse in foro ecclesiastico haud difficili est probatione. Nam etiamsi forsitan de authentia illius responsi ex anno 1588, de quo supra diximus, non undequaque constet, ex ipsa concordia canonistarum, qui sub finem saeculi XVI. et toto sequenti hoc principium asserebant, concludi debet ipsum viguisse etiam in Curia Romana; quodsi enim in uno alterove casu a Congregatione quadam negatum fuisset, hoc factum certo a canonistis, qui tunc temporis satis communicabant cum praxi Romana, fuisset notatum. Occasiones autem tuendi aut reiciendi hoc principium non poterant deesse, imo iam a Wiestner[8]) eiusmodi casus dicuntur „frequentis usus“. Quod autem omnes fere consultores anno 1741 individuitati contractus negarent vim comminicationis facile

---

[1]) Wernz, l. c. II. n. 655. IV.
[2]) c. 11. X. l. I. tit. 4. de consuet.; c. 3. eiusd. tit. in Sext.
[3]) l. c. § 386.
[4]) l. c. l. I. tit. IV. n. 176.
[5]) De principiis iur. canonici. Paris. p. 352.
[6]) De legibus. VII. c. 17. n. 4.
[7]) l. c. § 387.
[8]) l. c. l. IV. tit. II. n. 36.

comprehenditur ex eo, quod recte perspexerint ex natura rei effectum illum individuitati contractus non competere. Quorum voto non obstante quod nihilominus in ipsa Congregatione omnes Cardinales extendendam esse Declarationem ad matrimonia mixta censerent, haud obscure demonstrat Cardinales iam tunc principium illud legali praxi receptum cognovisse. Quod etiam ex verbis Benedicti XIV. supra allatis confirmatur. Qui non dicit eos qui in Congregatione aderant consuluisse, ut ex convenientia quadam attento illo principio matrimonia etiam mixta valida essent declaranda, sed id censuerunt „quod sicuti valida declarata fuerant ea matrimonia, quae in praedictis Foederati Belgii provinciis inter duos contrahentes haereticos sine parochi praesentia inita essent, ita valida dici deberent illa etc.“ Huiusmodi suffragio videntur agnoscere necessarium connexum inter matrimonia haereticorum et matrimonia mixta existentem.

Multo magis certum est inde a tempore Declarationis Benedictinae principium illud constanter retentum fuisse in foro ecclesiastico. Qua in re excepto de Scherer omnes canonistae conveniunt; ita v. gr. Gasparri[1]), Feije[2]), Perrone[3]), Braun[4]), Schulte[5]), Wernz[6]), Aichner[7]). Ipse de Scherer[8]) concedit praxim tribunalium Romanorum in multis casibus (vielfach) hoc principium sequi; tamen aliquos casus affert, quos exceptionem a regula esse contendit. Quapropter censet ex huiusmodi praeiudiciis legem non posse derivari.

31. In primo casu[9]), quam praelaudatus auctor ut exceptionem affert, agitur de matrimonio Parisiis celebrato a muliere anglicana, quae tunc temporis Londini in domo paterna suum habuit verum domicilium cum viro catholico, qui Romae forsitan domicilium retinuerat; contractum fuit in ea parochia Parisiensi, ubi neutra pars contrahentium domicilium vel quasidomicilium acquisiverat. Quem casum Scherer putat facilis fuisse solutionis (scheinbar liquide Frage), si principium communicationis statim fuisset applicatum; tamen vota consultorum discrepasse. Sed quomodo tali discrepantia comprobetur

---

[1]) l. c. n. 963: „post Benedictum XIV. omnes et in foro et in scholis illud retinent“.

[2]) l. c. n. 317 sq. et not. 2. ubi decisiones SS. CC et RR. PP. affert, in quibus hoc principium explicite applicatum fuit.

[3]) De matrim. christian. Romae. 1858. II. 242; 273 sq.: „Et revera haec ratio est, quam passim allegant sacr. congregationes Romanae, dum decernant valida matrimonia mixta illis in regionibus, ad quas Declaratio Benedictina extensa est.“

[4]) l c. ubi dicit hoc principium esse „die massgebende Anschauung der römischen Curie selbst“.

[5]) Eherecht, Giessen 1855. p. 239 princip. appellat „eine Rücksicht, die auch in späteren Erlassen massgebend war“.

[6]) Licet hoc principium de communicatione exemptionis ob individuitatem contractus ad alia impedimenta v. gr. consanguinitatis extendi nequeat, tamen impedimento clandestinitatis sive formae Tridentinae ex praxi recepta nunc certo applicatur, nisi modificatio huius principii iuris mere positivi sit attendenda v. gr. in declaratione et statuto Leonis XIII. pro insula Melitensi.

[7]) l. c. „Quia illa (sententia) in curia Romana continuo observari solet et nos eidem acquiescere possumus immo et debemus.“ Si auctor paulo inferius (not. 23) contra istud principium opponi posse censet, quod „quamplurimae sint decisiones Romanar. Congregationum, quibus mixta matrimonia clandestina pro irritis declarantur“, non admodum sibi cohaerere videtur.

[8]) l. c. not. 215.

[9]) Cfr. Analect Sacr. XI. p. 567—575; Wernz, Anal. Eccl. 1899. p. 63.

consultores non fuisse concordes in admittendo illo principio, omnino non intelligo. Nam mulier quidem ratione domicilii non subiecta fuerat legi Tridentinae, de viro dubitabatur, an domicilium retinuisset an vagus fuisset. Quodsi vagus fuerat, matrimonium Parisiis coram parocho commorationis contractum erat validum, quia parochus erat proprius viri ut vagi alicuius. Ita putat de Scherer decisum esse a Congregatione Concilii a. 1868. Quo in casu non haberemus applicationem principii communicationis, nisi (uti supra exposuimus) quatenus legislatorem Tridentinum movit, ut unico parocho contentus esset. Si econtra vir Romae retinuerat domicilium, matrimonium erat nullum et irritum, quia parochus Parisiensis non erat proprius alterutrius. Nam si forte de Scherer putat immunitatem mulieris, qua gaudebat ratione domicilii, transire debuisse etiam in virum iuxta theoriam, quam nos defendimus, errat, quia secundum sententiam communem, quam sequuntur tribunalia Romana quamque nonnisi paucissimi, ut Carrière[1]), de Scherer[2]), oppugnant, immunitas, qua quis gaudet ratione domicilii, non amplius ei suffragatur, si in loco aliquo Tridentino matrimonium contrahit. Qua in re, qui adversam sententiam tuentur, (dicit Wernz), si verum fateri velint, nituntur hoc unico fundamento, quod caput „Tametsi" tantum obliget ad instar legis personalis, non localis sive territorialis. Atqui totum istud suppositum est falsum, quia caput Tametsi praeter vim personalem habet etiam vim localem atque territorium afficit. Quae vis localis capitis „Tametsi" patet imprimis ex ipso textu Tridentino, qui evidenter intelligendus est de lege, quae proxime et directe afficiat territorium parochiale, in quo est publicanda neque quoad robur et vim obligandi ullam addit distinctionem inter personas in territorio parochiali contrahentes matrimonium. Porro S. C. Inq. in Instr. 14. Dec. 1859 postquam cap. Tametsi legem „localem et personalem esse" edixerat, illico addit: „Quatenus localis afficit territorium eosque qui ibi matrimonio iungendi sunt obligat." Ergo ex Instr. S. Off. omnes ibidem contrahentes ligantur, nisi forte ex speciali quodam titulo sint excipiendi[3]).

Sed etsi supponamus S. S. Congregationes in praxi sequi opinionem, quam defendunt Carrière et de Scherer sc. matrimonium clandestinum in loco Tridentino contractum tunc solum esse irritum, si alteruter saltem in loco, ubi cap. Tametsi viget, domicilium acquisiverit, eodem modo in casu non potest applicari principium communicationis, quia matrimonium pro utraque parte est nullum scil. si supponitur virum retinuisse domicilium Romae. Nam tunc matrimonium contractum fuit clandestine i. e. coram parocho non proprio, cum parochus ille Parisiensis neutrius esset proprius neque ratione domicilii, neque quasidomicilii, neque commorationis, quoniam in casu non agitur de vagis, sed de peregrinis. Peregrinos autem praesertim quoad matrimonia minime esse confundendos cum vagis probant Tarquini et Wernz ut consultores S. S. C. C.

---

[1]) De matrimon. Paris. ed. VI. n. 190.

[2]) l. c. II. n. 214, ubi dicit decisiones a Perrone allatas non esse ad rem, ut ipse Feije eiusdem sententiae fautor concessisset; utique; sed ad rem est alia decisio, quam Feije affert ex Pignatello (Consult. can. 79 tom. V. n. 8. sq.), quod Scherer non advertisse videtur (Wernz, Anal. Eccl. fasc. II. 1899. p. 70. n. 30); est decisio S. C. C. de 4. Febr. 1580.

[3]) Wernz, Anal. Eccl. 1899 p. 70. n. 32; Tarquini in vot. ad casum; de quo in textu agitur, Anal. Sacr. XI. 567—575.

Ultimo loco addendum est non recte matrimonium, de quo modo egimus, a de Scherer dici 1868 a S. C. C. validum declaratum fuisse, cum teste Wernz, [1]) cui occasione voti alicuius ad similem causam conscribendi ultimis annis omnia, quae de hac re in archivio S. C. C. existant acta, praesto erant, quantum ex iisdem actis erui possit, nunquam profluerit sententia definitiva; neque in archivio S. Officii huius causae ullum reperiri vestigium. Putat praelaudatus Consultor matrimonium fuisse ad cautelam convalidatum vel validum declaratum.

32. Alter casus a de Scherer discussus ita refertur a Perrone: [2]) „Aloysia Maria NN., quae orta in Anglia una cum familia sua exilio inde expulsa venit Lutetiam Parisiorum. Haec cum Romam venisset a. 1832 eiuravit errores sectae protestanticae, in qua orta et educata erat petiitque facultatem contrahendi ibi matrimonium. Quandoquidem autem in instantia sua exposuerat se d. 27. Juli a. 1822 contraxisse matrimonium civile cum Gallo catholico Friderico N. N. coram magistratu ac die subsequenti nempe 28. Iulii coniugium iterum celebrasse in domo regii oratoris Britannici Parisiis iuxta formam ecclesiae anglicanae coram capellano anglici ministri; expensa fuit quaestio circa validitatem eiusmodi coniugii in memorata suprema S. Officii Congregatione eo quod adhuc in vivis ageret NN. Post desumptas informationes fer. IV. d. 14. Mart. 1832 decretum est: „Nihil obstare, quominus oratrix Aloysia Maria NN. admittatur ad iuramentum suppletorium.“ Quod perinde est, (addit Perrone), ac declarare invalidum coniugium initum Parisiis prius civiliter deinde vero coram ministro anglicano in domo ministri regis Britannici.

Hanc declarationem nullitatis de Scherer censet „sine dubio“ esse defectionem a principio communicationis, saltem si considerentur ea verba, quibus Benedictus XIV. hoc principium pronuntiaverit. At supra satis exposuimus illud principium vim suam legalem non repetere ex verbis Benedicti XIV., sed ex consuetudine fori ecclesiastici. Porro Benedictus XIV. principium communicationis modo quodam philosophico et generali verborum conceptu formavit, quam ob rem verba eius non debent urgeri, alioquin ex ipsius verbis etiam posset probari matrimonium Judaei cum Christiana vel monialis cum viro laico esse validum. Quodsi ergo Pontifex in Syn. diœcesan. communicationi locum esse dicit „cum coniugum alter tum ratione loci, in quo habitat, tum ratione societatis, in qua vivit, exemptus sit a Tridentinae synodi lege“, sane clarius et accuratius dixisset „tum ratione loci, in quo habitat et contrahit, tum ratione societatis, in qua vivit et contrahit, tum ratione societatis, in qua vivit, et ratione loci, in quo contrahit“. At quisnam in pronuntianda aliqua idea generali desideret huiusmodi modum loquendi casuisticum? Sed ita etiam, ut de facto locutus est Pontifex, satis expressit omnimodam adesse debere immunitatem ex parte alterutrius. Qualem immunitatem minime adesse quoties matrimonium in loco Tridentino (nisi agatur de casibus in iure exceptis v. gr. de matrimonio mixto in Hollandia) celebratur, ipse Benedictus XIV. apertissime docuit. Quod satis clare probavit clarissimus, quo Romae usus sum magistro, canonista in voto saepius citato [3]): „Benedictus XIV. in fine Declarationis suae pro Hollan-

---

[1]) l. c. p. 63. et not. 2.

[2]) l. c. II. p 277.

[3]) Anal. Eccl. 1899. p. 70. n. 33.

dia declarat coniugia, quae contrahuntur in regionibus principum catholicorum ab iis, qui in provinciis foederatis domicilium habent, et alia, quae fiunt in foederatis provinciis ab habentibus domicilium in regionibus principum catholicorum diiudicanda esse iuxta canonica iuris communis principia et editas a S. C. C. resolutiones. At idem Benedictus XIV. ut doctor privatus in suo opere de Syn. dioec. l. VI. c. 6. n. 14. inter alia quae ad explicandam laudatam Declarationem pro Hollandia conducunt, disertis verbis docet de praedictis matrimoniis satis provisum esse per canonici iuris regulas constitutas de iis, qui relicta regione, in qua domicilium habent (et retinent) nec novo alibi domicilio vel quasidomicilio adhuc acquisito, matrimonium ibi contrahere cupiunt, et de regulis se egisse dicit in sua Institutione 33.[1]) Iam vero in illa Inst. docet: „De iis, qui relicta regione in qua domicilium habent nec novo alibi domicilio vel quasi-(domicilio) adhuc acquisito, matrimonium ibi contrahunt“ nuptias eorum invalidas esse idque allatis S. C. C. (decisionibus) facile demonstrat.“

Quibus ita expositis apparet sententiam S. Officii a Perrone relatam vel ipsis Benedicti XIV. verbis non adversari, nedum contradicat principio communicationis, uti in foro ecclesiastico legis vim acquisivit. Nam propter locum contractus, quod Parisiis, coram ministro anglicano i. e. clandestine contractum fuit matrimonium, nullum erat et irritum.

33. Postquam ostendimus per tempus sat longum nempe saltem per centum quinquaginta annos constanter matrimonia valida fuisse declarata, in quibus alterutra pars impedimento clandestinitatis tenebatur, iam probanda est altera qualitas, quae in praeiudiciis requiritur, ut aptam praebeant materiam iuris consuetudinarii i. e. ut non fortuito sint uniformes sed „rationem ex theoria desumptam comitem seu potius magistram habeant“. Etsi enim in sententiis tribunalium Romanorum propter curam et diligentiam, qua praeparari solent, haud ita timendum est, quod Zech[2]) in genere dicit sententias uniformes non raro oriri ex advocatorum mutua indulgentia, facti iurisque ignorantia, perfunctoria actorum perlustratione, praeoccupata iudicis affectione aliisque similibus causis, tamen etiam quoad Congregationes Romanas id attendendum est, quod Cardinales saepe a particularibus facti circumstantiis moventur ad dandam decisionem; ergo debemus cavere ne nimis praepropere ex qualicumque uniformitate sententiarum velimus consuetudinem iudicialem deducere. Ita Benedictus XIV. in ipsa Declaratione „Matrimonia“ admonet: Licet Sanctitas Sua non ignoret, alias in casibus quibusdam particularibus et attentis tunc expositis circumstantiis S. Congr. Conc. pro eorum (sc. matrimoniorum ab haereticis in Hollandia etc contractis clandestine) invaliditate respondisse, aeque tamen compertum habens nihil adhuc generatim et universe super eiusmodi matrimoniis fuisse ab Apostol. Sede definitum . . . declaravit statuitque . . matrimonia pro validis habenda esse.“ [3])

Sed quoad praeiudicia, de quibus nos agimus, talis uniformitas mere externa ex natura rei non adest, sed uniformitas, quae principium communicationis comitem et magistrum habet. Quamvis enim in foro

---

[1]) Opera Bened. XIV. tom. X. p. 144. (Prati 1844.)
[2]) e. c. § 387. de Scherer, l. c. I. p. 135. V. not. 27.
[3]) Cfr. Wernz, l. c. I. p. 156. et not. 60. ibid.

ecclesiastico in quamplurimis casibus haud facile sit cum certitudine motiva alicuius sententiae eruere, cum a iudicibus ecclesiasticis ex communiter contingentibus motiva non soleant addi, [1]) tamen quoad principium, de quo disputamus, sufficientes habentur decisiones, quae expresse invocent communicationem immunitatis ex individuitate contractus provenientem ut motivum decisi.

34. Quod fit imprimis in supra citatis verbis Benedicti XIV., quibus pronuntiat principium illud. Etsi enim doctoris privati sunt, tamen cum certitudine absoluta indicant rationem, qua legislator supremus ecclesiae Declarationem pro Hollandia etiam ad matrimonia mixta extenderit. Quae verba etiam alio sub respectu maximi sunt momenti ut argumentum quoddam a priori. Postquam enim vir ille duplici auctoritate praecellens et Pontificis celeberrimi et canonistae eruditissimi hoc principium applicavit ut Pontifex, ut canonista verbis formavit, iam a priori potest pro certo haberi iudices ecclesiasticos postmodum nunquam defecisse ab illo principio, quin de tali defectione expressam fecerint mentionem. Sed tale quid nullibi reperitur; econtra saepius expresse ab ipsis successoribus illius Pontificis et a tribunalibus eorum provocatur ad principium in Synod. dioeces. pronuntiatum.

35. Ita Clemens XIII. [2]) in litteris d. d. 15. Maii 1767 ad archiepiscopum Mechliniensem, qui dubium proposuerat de matrimonio quodam mixto a catholico Bruxelliensi viro in Hollandia cum muliere acatholica ibi domicilium habente contractum non observata forma Tridentina: „In eam devenimus sententiam, ut matrimonium istud inter nobilem catholicum et viduam N. protestantem in Hollandia initum, nisi forte aliquod aliud canonicum intersit impedimentum, etsi illicitum, validum tamen censeamus atque hoc quidem iudicium Nostrum eo potissimum fundamento nititur, quod Tridentina lege, quae de matrimoniis coram proprio parocho contrahendis sancita est, mulierem in Hollandia natam non teneri certum sit iuxta Declarationem s. m. Benedicti XIV. a. 1741 editam; quod mulieris privilegium viro etiam cum illa contrahenti communicare debere, etsi natus ipse sit inter catholicos ibique vitam duxerit, ubi legi locus esset, visum pariter est eidem Praedecessori Nostro (de Syn. lib. 6. c. 6.). Nec obstare quidquam potest, quod in postremo paragrapho praefatae Declarationis continetur; ibidem enim de iis dumtaxat matrimoniis agitur, quae inter partes duas, utrasque legis Tridentinae vinculo constrictas contrahuntur, quae partes, ut eidem legi fraudes inferant, in Hollandiam nuptias inituræ commigrarunt.“

36. Haud ita multum post d. 25. Aug. 1781 cum de nuptiis Iansenistarum, quas inter se vel cum altera parte catholica coram presbyteris suis celebrabant, dubitatum fuisset, Cardinalis Antonelli S. C. de Prop. Fide Praefectus ad archipresbyterum Batavic. Meylink rescripsit [3]) unice illud enucleandum esse, an Iansenistae essent veri haeretici, au dumtaxat schismatici. Quodsi de haeresi constaret, statim applicanda esse, „quae idem sapientissimus Pontifex (Benedictus XIV.) de tota hac controversia in suo Commentario de Syn. dioec. l. VI. c. VI. § 12. scriptum reliquit. Potissima enim ratio, quae ibi describitur, ut tam haereticorum matrimonia quam haeretici cum catholica

---

[1]) Biederlack in Zeitschr. f. kath. Theologie. 6. p. 642 sq.
[2]) Ap. Kutschker, l. c. I. p. 514. Feije l. c. n. 317.
[3]) Ap. Feije l. c. App. n. I. sub. 1.

coniuge valida declarata sint, in eo constituta videtur, quod haeretici a Tridentini Concilii lege c. 1. Sess. 24. de Ref. matr. soluti sint atque propterea, si catholicus coniux cum haeretico contrahat, quoniam horum alter scil. haereticus tum ratione loci, in quo habitat, tum ratione societatis, in qua vivit, exemptus sit a Trid. Synodi lege, exemptio, qua ipse fruitur etc. (affert ad verbum quae Benedictus XIV. cit. l. scribit.)“

37. Ex his responsis apparet, quomodo principium, quod Benedictus XIV. ut doctor privatus pronuntiaverat a Curia Romana publice et ex officio applicatum fuerit: Concedendum tamen est, in utroque quod attulimus instrumento principium illud applicari intra ambitum Declarationis Benedictinae, cum in utroque casu ageretur de matrimoniis, quae valida fuerunt habenda directe propter illam Declarationem, indirecte tantum propter principium communicationis, quatenus idem authentice indicabatur ut fundamentum ipsius Declarationis. Sed exstant alia instrumenta, quae plene probant, illud principium etiam normam esse in iis casibus, qui nullo modo eadem Declaratione attingantur.

38. Qua in re primo loco afferimus decisionem S. Officii a Zitelli[1]) publici iuris factam; qui auctor ita scribit: „Quodsi unus ex contrahentibus domicilium vel quasi-domicilium habeat in loco, in quo Decretum viget, alter vero in quo non viget, in hoc loco clandestine contractum matrimonium valebit, siquidem pars altera communicat alteri privilegium. In altero vero loco contractum nullum erit. Hanc ob causam Supr. Univ. Inquis. a. 1878 ad quaesitum propositum a Vicario Apostol. Constantinopolitano, utrum valeret matrimonium a quodam Calvinista, cum puella catholica contractum coram ministro acatholico Lutetiae Parisiorum et alterum ab eodem civiliter contractum coram Consule Borussiae Constantinopoli, declaravit primum ob clandestinitatis impedimentum esse invalidum, alterum vero validum eo quod Lutetiae Parisiorum decretum Concilii viget tam pro catholicis quam pro acatholicis, Constantinopoli vero non viget nisi pro catholicis latinis; hinc cum pars heterodoxa nata sit vel domicilium habeat in ea civitate suum privilegium alteri parti communicat.“

39. Ultimo loco provocamus ad decisionem Apostolicam, quae quamvis antiquior ea, quam modo retulimus, tamen prae ceteris sub diverso respectu, ut mox patebit, maioris videtur momenti, nempe ad litteras,[2]) quas Pius VII. 27. d. Iunii 1805 transmisit ad Napoleonem I. imperatorem Franco-Gallorum. Cuius frater Hieronymus Bonaparte ab imperatore in Americam missus Baltimori in Statibus foederatis Americae Septentrionalis matrimonium inierat cum acatholica Elisabeth Patterson, quod ut irritum declararetur, imperator efflagitavit a Pio VII. Pontifice. Quod matrimonium non plene constat an vere clandestinum

---

[1]) Apparatus Iur. Ecclesiast. ed. II. Rom. 1888. p. 426.

[2]) Artaud, Histoire du Pape Pie VII. Paris. 1836. tome II. ch. 6.

[3]) Sub finem citat. epistol. Pontifex scribit: „La circonstance même d'avoir été célébré devant un évêque (ou prêtre comme Votre Majesté le dit) Espagnol très-attaché comme le sont tous ceux de cette nation à l'observance du concile de Trente est une raison de plus pour croire, que ce mariage a été contracté avec les formalités, avec lesquelles on contracte validement les mariages dans ce pays.“

fuerit et ipse Pontifex de hac re videtur dubius fuisse;[3]) sed hoc nihil refert quoad eam quam mox afferemus ratiocinationem Pontificis, cum ibidem supponatur matrimonium fuisse clandestinum. Qui Pontifex postquam alia, quae imperator praetexuerat, impedimenta inania arguit, quoad impedimentum clandestinitatis ita respondet: „Cet empêchement vient du concile de Trente; mais la disposition du même concile n'a lieu que dans les pays, où son fameux décret . . a été publié et même dans ce cas il n'a lieu, qu'à l'égard des personnes, pour lesquelles on l'a publié.“ Dein exponit post diligentissimam a se factam inquisitionem nullum superesse dubium, quin caput Tametsi Baltimori nunquam fuerit publicatum et pergit: „A la suite de cette recherche des faits nous avons considéré sous tous les points de vue si l'absence du curé pourrait selon les principes du droit ecclésiastique fournir un titre de nullité, mais nous sommes resté convaincu que ce motif de nullité n'existe pas.

En effet il n'existe pas au sujet du domicile de l'époux. Car supposons même qu'il retint son propre domicile dans le lieu où l'on suit la forme établie par le concile de Trente pour les mariages, c'est une maxime incontestable que pour la validité du mariage il suffit d'observer les lois du domicile d'un des deux époux, sourtout lorsqu'aucun des deux n'a abandonné son domicile frauduleusement, d'où il suit que si on a observé les lois du domicile de la femme, où le mariage s'est fait, il n'était pas nécessaire de se conformer à celles du domicile de l'homme, où le mariage n'a pas été contracté. — Il ne peut non plus exister un motif de nullité par cause du domicile de la femme par la raison déjà alléguée, à savoir que le décret du concile de Trente n'y ayant pas été publié, sa disposition de la nécessité de la présence du curé ne peut y avoir lieu et aussi par une autre raison qui est que, quand même cette publication y eût été faite, on ne l'aurait faite que dans les paroisses catholiques, s'agissant d'un pays originairement acatholique, de sorte qu'on ne pourrait jamais en déduire la nullité d'un mariage mixte, c'est-à-dire entre un catholique et une hérétique, à l'égard de laquelle la publication n'est pas censée être faite. Ce principe a été établi par un décret de notre prédécesseur Benoit XIV au sujet des mariages mixtes contractés en Hollande et dans la Belgique confédérée. Le décret n'établissant pas un nouveau droit, mais étant seulement une déclaration, comme porte son titre (c'est-à-dire un développement de ce que ces mariages sont en réalité) on comprend aisément que le même principe doit être appliqué aux mariages contractés entre un catholique et une hérétique dans un pays sujet à des hérétiques; quand même parmi les catholiques y existants on aurait publié le susdit décret.“

40. Haec Pontificis verba sub diverso, ut iam insinuavi, respectu maximi sunt momenti. Imprimis enim clare pronuntiant principium communicationis ut rationem validitatis alicuius matrimonii idque pro duplici casu. Primo, quando alteruter immunis sit ab impedimento clandestinitatis ratione loci, in quo domicilium vel quasidomicilium habet et quo contrahitur, dicit esse principium extra controversiam positum (principe incontestable), quod valide tunc contrahatur matrimonium non observata forma Tridentina; secundo dicit idem fieri, quoties alterutra pars ratione societatis, in qua vivit, immunis sit a lege Tridentina et contrahat in eo loco ubi ista immunitas habeatur. Qua in re expresse addit hoc non solum valere de iis matrimoniis,

quae cadant sub Declaratione Benedictina, sed iisdem conditionibus in quovis alio loco.[1])

41. Sed vis probandi, quae inest verbis Pii VII. clarius cognoscetur, si eadem alio sub respectu consideraverimus. Quodsi enim Pontifex ab imperatore rogatus, ut validum declararet matrimonium illud, de cuius valore dubitatum fuisse supponamus, provocasset ad principium communicationis in favorem matrimonii, tali modo non tam clare testatus fuisset vim legalem huius principii, nam cum huiusmodi declaratione validitatis semper poterat esse coniuncta aliqua tacita sanatio saltem ad cautelam concessa. At in casu expetita fuerat nullitatis sententia, quam Pontifex denegabat, affirmans omni adhibito studio et opera se nullam invenisse viam, qua vel ex Apostolicae potestatis plenitudine imperatoris voto posset obsequi: „Nous avons pris tous les soins et nous nous sommes donné toutes les peines pour puiser nous-mêmes à toutes les sources, pour faire les plus soigneuses recherches et voir, si notre autorité apostolique pourroit nous fournir quelque moyen de satisfaire les désirs de Votre Majesté.“ Clarius non poterat principio illi vindicare plenam legis auctoritatem. Quodsi autem supremus ecclesiae legislator, „qui iura omnia (communia) in scrinio pectoris sui censetur habere“[2]) principio communicationis vim legis attribuit, quis poterit dubitare de hac re? Si non veritus iram potentissimi imperatoris matrimonium, quod forte negato hoc principio invalidum poterat declarari, intrepide sustinet, quomodo rationabiliter potest contendi „definitam huius quaestionis decisionem ab Apostolica Sede hucusque nondum emanasse?“

# Appendix ad § 2. I.

## De iure speciali pro insula Melitensi statuto.

42. Quidquid ergo sentis de principio communicationis, legis vim eidem pro ambitu, quem circumscripsimus, abiudicare non poteris. Dixi: Quidquid sentis; nam de opportunitate et utilitate huius principii non iniuria forte aliquis dubitet; aliud enim est dubitare de legis existentia, aliud dubitare de legis convenientia. Revera ipse Feije,[3]) ubi de applicatione illius principii ad matrimonia mixta disputat, firmiter quidem tenet: „Quamdiu . . nova . . S. Sedis dispositio non supervenerit, nexus praefatus (sc. inter matrimonia haereticorum et mixta) una cum principio quo nititur, asserendus omnino est“ — sed addit: „Optandum forsitan est, ut pro futuris Sedis Apostolicae de

---

[1]) Idque iam pro tempore ante Benedictum XIV., nam expresse dicitur: „Le décret n'établissant pas un nouveau droit, mais étant seulement une déclaration . . (c'est-à-dire un développement de ce que ces mariages sont en réalité) on comprend aisément que le même principe doit être appliqué etc.“ Ergo Pontifex illud principium iam ante annum 1741 ex praxi Curiae legis vim acquisisse supponit, nisi velimus admittere vel ipsum de natura principii errasse.

[2]) c. 2. Sext. l. I. tit. 2. De constit.; L. 19. Cod. lib. VI. tit. 23. De testament.

[3]) l. c. n. 318. — Etiam Romae et in ipso SS. Congregationum sinu viros esse scio, apud quos principium communicationis sat parvo gaudet favore. — Wamesius l. c. quae ex huius principii applicatione proveniunt incommoda postquam in dissertationis suae § 9 exposuit, frustra in sequenti § attenuare tentat.

matrimoniorum inter haereticos in aliqua regione clandestine contractorum validitate declarationibus Pontificia voluntas nexum illum destruat nec mixta matrimonia clandestina valida haberi posse decernat, nisi id quoque expresse fuerit declaratum."

Huic egregii canonistae desiderio ultimis annis iam satisfactum est quoad ea matrimonia, quae in insula Melitensi inter acatholicos et mixta contrahuntur, per decretum illud, quod saepius attigi. En ipsius textum:

Ex audientia Ssmi. Die 12. Ian. 1890.

Ad dirimendas quascumque controversias circa validitatem matrimoniorum, quae in insula Melitensi contrahuntur, Sanctissimus Dominus Noster Leo divina providentia Papa XIII. referente me infrascripto Secretario S. Congregationis Negotiis Ecclesiasticis extraordinariis praepositae haec quae sequuntur pro Apostolico suo munere statuit decernenda.

1. Matrimonia inita vel ineunda ab iis omnibus, quae catholicam profitentur religionem, sive quod uterque contrahens sit catholicus, sive quod alter sit catholicus, alter heterodoxus valida non esse nisi celebrata fuerint iuxta formam a S. Concilio Tridentino praescriptam in C. 1. „Tametsi" Sess. XXIV. de Reform. Matr.

2. Eos vero qui diversum a catholico cultum profitentur valide contrahere posse matrimonium inter se, etiamsi formam Concilii Tridentini non servent, dummodo ceteroquin aliud non obstet canonicum dirimens impedimentum. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae a Secretario eiusdem S. Congregationis die, mense et anno praedictis. —

Deinde cum archiepiscopus Melitensis petiisset, ut valida declararentur etiam matrimonia haereticorum iam contracta ante diem 12. Ian. 1890., hoc factum est post decretum S. Officii Supplicandum Sanctmo. d. d. 2. Iun. 1892 per Leonem XIII. d. 3. Iun. 1892.[1])

Ex his apparet in insula Melitensi matrimonia sive mere catholica sive mixta contracta vel contrahenda absque forma Tridentina esse nulla; matrimonia vero inter acatholicos contracta vel contrahenda etiam absque eiusmodi forma esse valida, dummodo aliud non obstiterit impedimentum.

Ergo in insula Melitensi principium communicationis amplius est nullius momenti. Quamvis enim ibidem aliqua pars incolarum vere sit immunis a lege Tridentina tamen huiusmodi immunitas in contrahendo matrimonio communicari non potest, sed individuitas contractus retinet in illo ecclesiae territorio originalem effectum sc. irritandi contractum, si alteruter est inhabilis ad contrahendum. Sed cum hic agatur de iure speciali pro insula Melitensi constituto,[2]) statim apparet principium communicationis in tota ecclesia hoc territorio unice excepto legis vim retinere.

## II. Communicatio immunitatis in matrimoniis inter dispares cultu.

43. Disputatione finita de matrimoniis inter fideles contractis accedendum est ad discutiendam quaestionem de illis matrimoniis,

---

[1]) Acta S. Sed. XXV. p. 696—697; Archiv f. kath. Kirchenr. LXIX. p. 144; Santi-Leitner l. c. l. IV. n. 64.

[2]) Santi-Leitner, l. c. p. 132; Wernz, Anal. Eccl. p. 1899. p. 196. n. 58; Mifsud l. c.

quae baptizatum inter et non baptizatum ineuntur, quomodo in his principium illud individuitatis contractus suam vim exserat.

Statim ab initio debemus praenotare, quid sentiendum nobis videatur in illa celeberrima controversia, an civilis potestas habeat potestatem impedimenta etiam dirimentia statuendi pro matrimoniis ab utraque parte infideli initis; nam ut mox patebit tota subsequens disputatio magna ex parte pendet a solutione huius praeviae quaestionis. Cum autem ipsa controversia directe non pertineat ad tractatum nostrum, sed solummodo indirecte, non possumus hoc loco totam illam disquisitionem, prouti in libris canonistarum necnon in theologorum tractatibus longe lateque fieri solet, proponere. Vide v. gr. Feije,[1] Perrone,[2] Schnitzer,[3] Gasparri,[4] ubi etiam elenchos scriptorum, qui hanc vel alteram sententiam propugnarunt, invenies. Ut abstrahamus ab extrinseca auctoritate ex numero scriptorum et ex enuntiationibus S. Sedis petita, quae ut ipsemet Feije,[5] alterius sententiae fautor, candide fatetur, communiorem eam reddit opinionem, quae potestatis civilis ius agnoscit, ex tanta argumentorum, quae ab intrinseco proferuntur, serie unum praecipue nos commovet, ut sine haesitatione Statui plenum ius tribuamus impedimenta etiam dirimentia pro matrimoniis infidelium statuendi. Est argumentum hoc: Debet provisum esse a Deo, ut sit aliqua potestas, quae iudicet de matrimoniis infidelium, an valide subsistant, an irrita sint in casu quo inter coniuges dissidium exortum est aut agitur de secundis nuptiis celebrandis. Ipsi coniuges in causa propria iudices esse non possunt. Quare non possunt? Primo quia nemo in causa propria potest esse iudex. Nam etsi normae, quas sequi debet iudicando, clarissimae exstent, tamen recte eas applicare non valebit, quia „nihil" ,dicit Schmalzgrueber,[6] „rectae rationi magis repugnat, quam ius in causa propria dicere." Quod si de quacunque lite dicendum, quanto magis de causis matrimonialibus, in quibus eorum, qui litigant, mentes ex communiter contingentibus tot ac tantis passionibus sunt obfuscatae, ut etsi vellent, secundum meritum causae iudicare non possent; dirimerent, quod firmiter persistere deberet, firmum censerent, quod dirimendum esset.

Sed etiamsi coniuges in propria causa ius dicere possent, quas normas deberent applicare ad dirimendas lites? Dices: Legis naturae. Bene; sed ubi invenirent codicem quendam authenticum, qui contineret ius, quod natura statuit de re matrimoniali? Etsi enim in genere sine dubio existat lex naturalis in ordine ad matrimonium, in specie in quamplurimis casibus vix ac ne vix quidem potest cognosci, ne a doctissimis quidem viris, nedum generatim a coniugibus infidelibus. V. gr. si infidelis vir sororem suam duxit uxorem, utrum natura est validum tale matrimonium, annon? Quis potest unum aut alterum cum certitudine affirmare?[7] Eadem incertitudo iuris existit de matri-

---

[1]) l. c. n. 67—71.
[2]) l. c. I. p. 262 ssqq.
[3]) l. c. § 6. p. 26—31.
[4]) l. c I. n. 281—296.
[5]) l. c. n. 67.
[6]) l. c. lib. II. tit. I. n. 4.
[7]) cfr. Lehmkuhl, Theol. mor. II. vol. n. 756; econtra Sanchez l. c. lib. VII. disp. LII. n. 12., Vericelli, De Apostolicis missionibus tit. IV. qu. 98. dub. 14.

moniis initis inter privignam et vitricum, privignum et novercam, nurum et socerum, generum et socrum.[1])

Quodsi ergo coniuges ipsi omnino non possunt esse iudices matrimonii sui, debet a Deo instituta esse publica quaedam potestas, quae huiusmodi exerceat iudicium, alias bono communi societatis non satis esset provisum, cum id quod est radix et fundamentum publicae salutis, sc. matrimonii institutum, gravissimis anarchiae periculis exponeretur [2]). Haec potestas non est ecclesiae, quippe quae iuxta verbum illud Apostoli [3]) non iudicat de iis qui foris sunt. Ergo debet esse alia potestas. Non potest inferri, quod quidam dixerunt, ex Dei voluntate debere omnes homines esse intra ecclesiam; ideoque etsi ante Christum Dominum exstitisset potestas, quae rebus matrimonialibus gentium praeerat, post Christum talem posse non existere. [4]) — Sed hoc argumentandi modo posset etiam probari post Christum Dominum matrimonium mere legitimum non amplius existere; nam — sic argumentari liceret — Deus vult omnes homines esse intra ecclesiam; intra ecclesiam autem non datur matrimonium nisi sacramentale; ergo non datur amplius matrimonium, nisi simul sit sacramentum. Sed tale quid nemo affirmaret; ergo: qui nimium probat nihil probat.

Ex his sequitur potestatem illam, cui competit iudicare de matrimoniis infidelium, eam esse, quae ex Dei institutione communi humani generis bono ordinando praeest in illis rebus, ubi ecclesiae potestas deficit [5]), vel quia res, de quibus agitur, non pertineant ad eius finem vel quia, ut in casu, homines de quibus iudicandum est, non sint subditi ecclesiae. Haec autem est potestas civilis.

Sed quales debet sequi normas ipsa potestas civilis in diiudicandis rebus matrimonialibus infidelium? Sane legis naturae. Sed hic redit prior difficultas sc. ius naturale in casu non esse certum et clare circumscriptum. Ad supplendum hunc defectum necesse est, ut ipsa

---

[1]) Riganti, Commentaria in Regulas, Constitutiones et Ordinationes Cancellariae Apostol. Rom. 1747. reg. 49. n. 18—20. tom. IV.

[2]) Sic Cathrein, Moralphilosophie. 2. Aufl. Band II. S. 371.: „Die Ehe ist ein Grundpfeiler der menschlichen Gesellschaft und es darf deshalb nicht rein dem Belieben der Einzelnen anheimgegeben bleiben, ob sie die Ehegesetze beobachten wollen oder nicht. Wenn irgendwo, so bedarf es in Bezug auf den stärksten sinnlichen Trieb einer irdischen Gewalt, welche denselben eindämmt und nöthigenfalls mit Gewalt in die Schranken der Pflicht zurückdrängt. Sonst würde bald ein wilder, regelloser Geschlechtsverkehr die Familie und Gesellschaft untergraben."

[3]) I. Cor. V. 12.

[4]) Ita Pesch l. c. n. 887—88. Neque alia obiectio, quae ibidem profertur, (n. 890) incompetentiam Status, in casu evincit. Nam ex eo quod matrimonium prius exstiterit, quam Status non efficitur Statum non posse habere iuridictionem in matrimonium. (Cfr. Cavagnis l. c. lib. IV. n. 191.) Etiam v. gr. contractus antecedebant Statum neque tamen ob hanc rationem immunes sunt a legibus eiusdem. Quodsi praelaudatus auctor in confirmatione argumenti a se allati censet leges dari a Statu in re matrimoniali similem imo graviorem esse tyrannidem ac si sese intrudere vellet in alia iura naturalia v. gr. praescribere, quid singuli edere et bibere deberent, rem adhibet in comparatione, quae minime analogice se habet. Nam mensas ordinandi ius et nos Statui omnino abiudicamus, sed non, quia prius erant epulae, quam Status, sed quia mensarum ordo non spectat ad bonum commune, sine dubio autem matrimonia eo spectant.

[5]) Ita et Billot, De ecclesiae sacramentis commentarius in III. Partem S. Thom. Tom. poster. Romae 1895. p. 425. qui provocat ad axioma illud: „Suprema lex salus populi," quod dicit in casu aliqualiter posse applicari.

potestas civilis habeat non solum iudicandi competentiam, sed etiam interpretandi ius naturale, ea quae in eo sunt dubia positiva ordinatione certa faciendi, supplendi, quae in ea deesse videantur, applicandi concretis subditorum circumstantiis, quae in ea generali modo sunt contenta, i. e. necesse videtur, ut potestati civili competat vera et nativa facultas leges ferendi quoad matrimonia infidelium, statuendi impedimenta pro iis etiam dirimentia [1]).

44. His praemissis gradum facimus ad nostram quaestionem, quomodo individuitas contractus vim suam exserat in matrimoniis illis, quae ab una parte fideli, ab altera infideli contrahuntur.

45. Primo tractabimus casum, in quo pars fidelis aliquo impedimento detineatur, pars autem infidelis per se omnino habilis sit ad contrahendum. In tali casu non adest ex parte fidelis impedimentum nisi ecclesiasticum, quia impedimento iuris naturalis vel divini etiam pars infidelis detineretur. Huiusmodi impedimenta, quae certe ad merum ius ecclesiasticum pertinent v. gr. sunt: Ipsa cultus disparitas, consanguinitatis II. III. IV. gradus lineae obliquae, affinitas in iisdem gradibus, criminis, raptus etc. In tali casu propter individuitatem contractus evidenter etiam pars infidelis non potest valide contrahere; nam alterutra parte inhabili ad contrahendum ipse contractus irritus est, nisi illa legislatio, a qua inhabilitas proficiscitur, communicationem exemptionis indulsit. Tale autem indultum in casu solummodo adest quoad impedimentum clandestinitatis. Nam, ut vidimus, principium illud, quod alterutro contrahentium exempto a forma Tridentina, altera quoque pars sine forma possit contrahere, tam generaliter pronuntiatur, ut non possit intelligi, quare solummodo valeat quoad coniugia fidelium cum fidelibus. — Cum autem infidelis ubivis terrarum exemptus sit a lege Tridentina, ubivis valide potest contrahere cum fideli sine ullis solemnitatibus supposita semper dispensatione pontificia super impedimento cultus disparitatis. Ita etiam Gasparri.[2])

46. Sed quid iuris in altero casu, quando obtenta dispensatione super impedimento cultus disparitatis ex parte fidelis nihil amplius obstat, quin valide contrahat, ex parte infidelis autem adest impedimentum quoddam dirimens a iure civili statutum?

D' Annibale [3]) putat, matrimonium in casu irritum esse, nisi dispensatum sit a potestate civili: „Si infidelis cum fideli coeat nuptias, hae ceteris paribus si non utriusque iure coierint irritae sunt." Quem sequitur „sine cunctatione" Gasparri [4]) in asserenda nullitate „quia una pars est inhabilis et ad validitatem matrimonii habilitas utriusque partis necessaria est nec ecclesia incompetens in non baptizatos dici potest in casu habilem reddere partem non baptizatam." Rem illustrat exemplo: „Supponamus Semproniam remoto per dispensationem impedimento disparitatis cultus, esse iure canonico habilem et Titium esse iure civili inhabilem e. g. Sempronia excessit annum duodeci-

---

[1]) Quodsi potestati civili ius tribuamus leges ferendi, iudicandi, cogendi quoad causas matrimoniales infidelium hoc valet solummodo pro eo ordine rerum, qui de facto post Christum exsistit, ut iam ex ipso argumento, quod desumpsimus ex defectu alius potestatis, quae inter infideles triplicem illam facultatem exercere posset, patescit. Quid iuris esset in statu mere naturali (qui de facto nunquam exstitit) inquirere pertinet ad philosophos. Cfr. Cathrein, l. c. pag 374. n. 6.

[2]) l. c. II. p. 164. n. 963.

[3]) l. c. II. edit. III. n. 294.

[4]) l. c. I. p. 181. n. 297.

mum, sed Titius Hebraeus nondum excessit annum decimum octavum legislatione Gallica requisitum pro validitate matrimonii. D' Annibale censet matrimonium esse nullum eiusque sententiam sine cunctatione amplectimur."

Concedendum est utrumque auctorem principium illud de effectu mere negativo, quem individuitas contractus ex se producit, formaliter quidem optime applicasse, quamvis Gasparri, quod hic quasi in parenthesi observamus, non sibi constet, si in eadem § exceptionem statuit circa impedimentum clandestinitatis civilis, quod forte a quodam Statu introductum sit. Dicit enim [1]: „Ad formam autem quod attinet, cum exemptio unius propter individuitatem contractus communicetur et alteri quoad actus validitatem, sequitur nec partem infidelem teneri forma civili forte constituta, quia fidelis ab eadem exempta est . . . ideoque matrimonium sine forma civili . . . validum esset." Sed haec exceptio omnino gratis asseritur. Nam, ut supra exposuimus, individuitas contractus positivum effectum i. e. validitatem ipsius contractus ex se nunquam producit, sed solummodo ex dispositione eius, ex cuius lege altera pars ad contrahendum inhabilis erat, in casu potestatis civilis. Talis dispositio potestatis civilis autem probanda est, non gratuito asserenda. Difficile autem quis probaret ullum Statum tale quid disposuisse, nedum omnes statuum gubernatores cum ecclesia convenisse, ut quoad formam matrimonii communicatio exemptionis locum haberet; neque ad consuetudinem quandam fori civilis apte quis provocaret. Nam in legislationibus modernis ne cogitari quidem de tali dispositione stabilienda certissimum est, cum pro foro externo omnes et Christiani et infideles omnino aequaliter tractentur, de foro interno autem i. e. de validitate alicuius matrimonii pro conscientia tota cura ei, cui quis nomen dat, societati religiosae relinquitur, ut expresse declaratur v.gr. in novo codice civili Germanico [2]. Ergo quia speciali sua et religiosa potestate quoad matrimonia infidelium uti non vult Status, ne cogitari quidem potest, quod infidelem civiliter impeditum participem fecerit immunitatis, qua alter gaudet in foro ecclesiastico.

Sed ut redeamus ad principalem quaestionem, opinioni illi, quam secuti sunt d'Annibale et Gasparri, de nullitate alicuius matrimonii propter inhabilitatem civilem partis infidelis, subscribere non possumus. Econtra certi sumus tale matrimonium non obstante inhabilitate illa civili, dummodo obtenta dispensatione pontificia super impedimento disparitatis cultus aliud impedimentum iuris naturalis vel divini, vel ecclesiastici non obstat, esse firmum ac validum.

47. Priusquam hanc nostram sententiam probandam aggredimur, conveniens erit aliquod argumentum, quod v. gr. a Palmieri [3]) in nostrum favorem affertur quodque primo aspectui forte peremptorium se offert, a limine refutare. Quod argumentum breviter sic resumimus: Omne matrimonium, quod est sacramentum, subiacet exclusive legibus ecclesiae quoad vinculum; sed matrimonium inter fidelem et infidelem fulget dignitate sacramenti; ergo subiacet exclusive legibus ecclesiae. — Hoc argumentum ob eam rationem non possumus acceptare, quia ut postea dicemus, tale matrimonium sacramentum esse non censemus.

---

[1]) l. c.

[2]) Bürgerliches Gesetzbuch des Deutschen Reiches. § 1588.

[3]) De matr. Christiano. edit. II. p. 103—104.

Sed etsi matrimonium tale probabilius non habeat dignitatem sacramenti N. T., certe tamen est aliquid religiosum natura sua. Primo propter finem suum. Nam omne matrimonium pro principali fine habet procreationem hominum, qui destinati sunt ad serviendum Deo. Insuper hic finis originaliter a creatore ita erat intentus, ut proles procreata iam in ipsa procreatione esset sancta et in filiatione Dei constituta. — Porro in ipso procreationis opere tam mirabiliter divina potentia creando animam intervenit, ut ipsum matrimonii opus, quamvis deinde propter peccatum concupiscentia infectum sit, tamen in intima relatione ad operationem divinam appareat [1]. Deinde omne matrimonium [2] ex Dei institutione inde ab origine stabilita habet in se significationem mystici illius coniugii Christi et Ecclesiae. Hoc tanto magis valet de matrimonio inter fidelem et infidelem, in quo Apostolus dicit infidelem aliquo modo sanctificari per partem fidelem.

Itaque omnino alienum est a veritate christiana, si quis matrimonium nihil nisi rem quandam saecularem (ein weltlich Ding) cum Luthero velit aestimare, etiamsi penitus abstrahamus a ratione sacramenti.

Res autem religiosas fidelium exclusive subesse potestati ecclesiae constat inter omnes [3]. Auctoritas enim civilis in spiritualibus tunc solummodo competens fit, quando deficit ecclesia [4], i. e. quoad res sacras infidelium inter se. Ergo ecclesia sola competens est in matrimoniis, quae ineuntur a baptizato quodam, etiamsi ineuntur cum infideli. Sed in casu talis matrimonii ecclesia competens fit etiam in infidelem per unitatem contractus initi cum fideli. Ergo in momento contractus ita exclusive competens fit ecclesia, ut existentia contractus solummodo dependeat a legibus ecclesiae et quaevis aliae leges eum ne attingere quidem possint.

48. Haec sententia confirmatur declarationibus Summorum Pontificum. Leo XIII. in praeclara sua Encyclica „Arcanum divinae sapientiae" d. d. 10. Febr. 1880 [5]) haec habet: „Igitur cum matrimonium sit sua vi, sua natura, sua sponte sacrum, consentaneum est, ut regatur ac temperetur non principum imperio, sed divina auctoritate Ecclesiae, quae rerum sacrarum sola habet magisterium. Deinde consideranda est sacramenti dignitas . . ." Ex quo elucet Pontificem competentiam exclusivam ecclesiae in matrimonia fidelium non repetere ex sola sacramenti dignitate, sed prius ex nativa indole matrimonii ut alicuius rei religiosae.

Obici potest contractum matrimonii non esse exclusive religiosum, sed etiam socialem, quia refertur directe etiam ad bonum sociale. [6] Quod utique concedendum est, sed eodem modo valet de matrimonio ad sacramenti dignitatem elevato, ita ut inter antiquiores theologos et canonistas permulti in eam abierint opinionem etiam in matrimoniis mere christianis potestatem civilem auctoritatem retinere, ut impedi-

---

[1]) Cathrein, l. c. II. p. 375.

[2]) Müllendorf, Zeitschrift für kath. Theol. 1878. p. 644., 646. Benedictus XIV. De Synod. dioeces. l. XIII. c. XXI. n. 4.

[3]) Cavagnis, Instit. iur. publ. ecclesiast. edit. III. vol. I. n. 403.

[4]) Gasparri, l. c. I. n. 290.

[5]) Acta S. Sedis XII, 392.

[6]) Cavagnis, l. c. vol. III. n. 186.

menta ferre possit. Ita S. Thomas [1]): „In quantum est sacramentum statuitur iure divino, inquantum est in officium communitatis, statuitur lege civili.“ Clarius P. Soto, [2]) Sanchez, [3]) Barbosa [4]) alii, quos vide apud Schnitzer. [5]) — Cum tamen nostra aetate apud omnes catholicos post tot effata Pontificum inconcussa habeatur doctrina exclusive esse competentem ecclesiam in statuendis impedimentis pro matrimoniis fidelium, quippe quae sacramentali fulgent dignitate, idem dicendum videtur de omni contractu matrimoniali alicuius fidelis, etiamsi cum infideli contrahens sacramentum non perficiat, quia agitur de aliqua re sacra in subdito ecclesiae.

Porro Benedictus XIV. in Constitutione „Singulari nobis“ § 7 [6]) de impedimento disparitatis cultus a Theodosio imperatore constituto: „Ne quis Christianorum mulierum in matrimonium Iudaeus accipiat, neque Iudaeae Christianus coniugium sortiatur. Nam si quis aliquid huiusmodi admiserit, adulterii vice commissi huiusmodi crimen obtinebit“ expresse dicit, „quod utpote a laico Principe condita nullam habere vim in matrimoniis debet“. Hoc impedimentum constitutum fuerat non ut dirimens, sed solummodo, ut ex textu legis apparet, ut prohibens; nihilominus Pontifex Estii sententiam amplexus legem irritam declarat, quia propter partem baptizatam ecclesia fuit competens. A fortiori ergo impedimenta dirimentia statuendi facultatem pro tali matrimonio Statui abiudices.

49. Alterum argumentum ad probandam thesim nostram de exclusiva potestate ecclesiae statuendi impedimenta pro matrimoniis inter fidelem et infidelem ineundis resultat ex potestate exclusiva eiusdem ecclesiae diiudicandi causas, quae pertinent ad matrimonia huiusmodi.

Nostris temporibus omnino antiquata est sententia illa, quam profert Sanchez: [7]) „. . . si infidelis agat ad divortium vel ad nullitatem matrimonii, debet convenire fidelem coram iudice ecclesiastico, qui in causa matrimonii est iudex fidelium; si vero fidelis sit actor, debet infidelem convenire coram iudice saeculari, qui est eius iudex, cum semper actor forum rei sequitur.“ Ratio enim, quam affert Sanchez, minime probat, quia ut bene advertit Gasparri, [8]) principium illud actorem sequi debere forum rei est iuris privati i. e. valet intra fines unius eiusdemque potestatis iudiciariae, quae tale principium approbavit, nostra autem quaestio est iuris publici, quia agitur de finibus diversarum potestatum. — Iterum autem atque iterum temporibus proxime elapsis Pontifices pronuntiarunt omnes causas matrimoniales fidelium spectare unice ad forum ecclesiasticum. Ita Pius VI. in epistola ad episcopum Motulensem d. 16. d. Sept. 1788 [9]): „Dogma enim fidei est, ut matrimonium, quod ante adventum Christi

---

[1]) Suppl. q. 50. a. 1. ad. 4.
[2]) Tractat. de instit. sacerd. De matr. lect. 4. f. 380.
[3]) l. c. lib. IV. disp. 3. n. 2.
[4]) Collectio in libr. IV. Decretal. tit. I. c. 1. n. 6.
[5]) Eherecht, p. 47—48. Solummodo controvertitur, an illa exclusiva potestas oriatur ex iure divino an ex ecclesiae reservatione. Cfr. Schnitzer l. c. p. 49. fin. not.
[6]) Bullarium Bened. XIV., tom. III. pars. I. p. 11.
[7]) l. c. lib. VII. disp. 4. n. 10.
[8]) l. c. II. n. 1164.
[9]) apud Feije, l. c. p. 7.

nihil erat nisi indissolubilis quidam contractus, post Christi adventum evaserit unum ex septem legis evangelicae sacramentis a Christo Domino institutum . . . Hinc fit, ut ad solam ecclesiam, cui tota de sacramentis est cura concredita, ius omne ac potestas pertineat suam adsignandi formam huic contractui ad sublimiorem sacramenti dignitatem evecto. Spiritus vero sive ratio legis adeo late patet, ut nullum exceptioni aut limitationi locum relinquat: si enim hae causae non alia ratione pertinent ad unum ecclesiae iudicium, nisi quia contractus matrimonialis est vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis, sicut haec ratio communis est omnibus causis matrimonialibus, ita omnes hae causae unice spectare debent ad iudices ecclesiasticos, cum eadem ratio sit in omnibus, ut concors est canonistarum sententia." Pius VII. ad archiepiscopum Moguntinum (8. Oct. 1803):[1]) „Ad ecclesiasticos iudices privative spectat de huiusmodi causis iudicium ferre."

Primo quidem aspectui haec verba praesertim Pii VI. haud ita favere videntur nostrae sententiae. Nam omne fundamentum ecclesiasticae potestatis exclusivae in dignitate sacramenti ponere videntur. Cum autem nos in matrimoniis inter fidelem et infidelem, ut iam diximus et postea fusius explicabimus, sacramentum non agnoscamus, effata illa nobis adversari videntur. Sed bene advertendum est Pium VI. omnes et singulas causas matrimoniales fidelium vindicare ecclesiastico iudicio, non solummodo ea, quae ipsum vinculum concernunt, sed etiam sponsalia. Ita idem Pontifex in Bulla „Auctorem fidei", ubi damnat prop. 58. Pistoriensem: „Propositio, quae statuit sponsalia proprie dicta actum mere civilem continere, qui ad matrimonium celebrandum disponit, eademque civilium legum praescripto omnino subiacere . . . quasi actus disponens ad Sacramentum non subiaceat sub hac ratione iuri Ecclesiae . . falsa, iuris Ecclesiae quoad effectus etiam e sponsalibus vi canonicarum sanctionum profluentes laesiva, disciplinae ab Ecclesia constitutae derogans."[2]) Similiter Pius IX. in Syllabo n. 74. damnat propositionem: „Causae matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinent."[3]) Quamvis his censuris non plectantur nisi qui ecclesiam omnino excludant a iudicandis sponsalibus, tamen ex illis et aliis[4]) in Constitutione „Auctorem fidei" pronuntiatis, si comparantur cum epistola citata ad episcopum Motulensem, aperte sequitur, causas sponsalium iis causis, quae ipsum vinculum concernunt, omnino aequiparari, cum etiam quoad causas vinculi ii soli incurrant censuras, qui ecclesiam omnino excludunt.[5]) Qamvis enim sponsalia non sint sacramentum, tamen ad sacramentum recipiendum praeparant eiusque liceitati praeiudicant.[6]) Multo magis autem matrimonium fidelis cuiusdam cum infideli, etiamsi sacramentum non sit, praeiudicat illi sacramentali coniugio, quod fidelis postea forte contrahere vult cum aliquo fideli, non solum quoad liceitatem, sed etiam quoad validitatem secundi coniugii. Quodsi ergo ob praedictam rationem ecclesia sibi soli

[1]) apud Feije, l. c. p. 8.
[2]) Denzinger, Enchiridion Wirceburgi 1874. ed. 4. n. 1421.
[3]) Denzinger, l. c. n. 1622.
[4]) Denzinger, l. c. n. 1422.
[5]) Schnitzer, l. c. p. 46. in not. 1.
[6]) Kreutzwald in „Staatslexikon der Görres-Gesellschaft" II. p. 439. prim. a linea.

vindicat iudicium de causis sponsalitiis,[1]) multo magis sibi reservabit ob eandem rationem exclusivum iudicium de matrimonio alicuius fidelis, etsi contractum sit cum infideli et dignitatem sacramenti non habeat. V. gr. nunquam ecclesia admittet talem fidelem ad secundas nuptias vivente priore coniuge infideli, nisi ipsa primum matrimonium aut ratum ex iusta causa dissolverit, aut consummatum irritum declaraverit propter impedimentum aliquod postea detectum. Certo constat ex constanti eius praxi ecclesiam sententias iudicum civilium de matrimonii taliter mixti existentia nihil curare. Cuius autem quis subicitur foro, eius etiam legibus est subiectus. Ergo cum ecclesia exclusive competens sit ad diiudicandas causas circa matrimonia taliter mixta, etiam debet esse exclusive competens ad leges ferendas de matrimoniis huiusmodi ineundis i. e. exclusive competens ad statuenda impedimenta quoad haec matrimonia.

Tanto magis miror, quod Gasparri[2]) potestati civili tribuat ius in talia matrimonia, quia non solum subscribit sententiae, quae statum excludit a iudiciaria potestate in causis matrimonialibus, quae sunt inter fidelem et infidelem, sed etiam Status incompetentiam repetit ex eodem argumento, quod supra demonstravimus omnino sufficere ad probandam eandem incompetentiam Status quoad legislationem sc. ex eo, quod matrimonium taliter mixtum quamvis sacramentum non sit, tamen ut res religiosa et sacra alicuius fidelis soli ecclesiae esset subiciendum. En ipsius verba: „Si una pars est infidelis et alia fidelis . ., putamus competentem esse iudicem ecclesiasticum, quicunque tandem sit actor vel reus. Nam matrimonium in casu etsi neges esse verum et proprie dictum sacramentum, erit tamen vi sua, sponte sua, natura sua res sacra; quae ratione partis fidelis ad Ecclesiam spectat." Quodsi praelaudatus auctor ecclesiae vindicat exclusivam potestatem quoad huiusmodi matrimonium in esse, quomodo eandem ei denegabit quoad matrimonium in fieri?

Obiciet fortasse quispiam ecclesiam sibi non minus vindicare exclusivum iudicium de iis matrimoniis fidelium, quae in infidelitate contracta deinde utriusque coniugis conversione christiana facta sunt; nihilominus in hoc casu iudicium ferre de talibus coniugiis non secundum leges ecclesiasticas, sed secundum leges naturales et eas civiles,[3]) quibus coniuges tempore contractus erant

---

[1]) de Scherer, l. c. II. § 109. V. p. 106.: „Die Kirche nimmt für sich das ausschliessliche Recht in Anspruch über sämtliche das Wesen der Ehe unter Christen betreffende Verhältnisse ihre Jurisdiction auszuüben, in der Art, dass nur die nach kirchlichem Rechte giltige Ehe eine solche und die so erlaubte eine erlaubte ist, unbekümmert darum, ob dieselbe Ehe etwaigen Staatsgesetzen entspricht, oder nicht. Die Kirche bringt also in Eheangelegenheiten, wozu auch die Sponsalien gehören, nur ihre eigenen Gesetze und zwar durch ihre eigenen, ausschliesslich dazu befugten Organe, Gerichte u. s. w. zur Anwendung."

[2]) l. c. II. n. 1164.

[3]) de Scherer l. c. II. § 109. V. p. 107 et ibid. not. 53.; II. § 114. II. et ibid. not. 13. videtur reservare ecclesiae potestatem iudicandi de talibus coniugiis, quin stricte apponat normas legum civilium: „Eine Abhängigkeit der Kirche von den einzelnen bürgerlichen Gesetzen lässt sich auch in dieser Richtung nicht füglich behaupten . . . Thatsächlich wird die Kirche sicher die in das Rechtsbewusstsein der Contrahenten übergegangenen weltlichen Gesetze über Ehehindernisse u. s. w. berücksichtigen . . . aber die Möglichkeit, dass die kirchliche Autorität anders verfüge, muss offen gehalten werden. Der Nachdruck liegt

subiecti. Ergo non posse adstrui necessariam illam connexionem et correlationem inter potestatem iudiciariam et legislativam. — Respondemus: matrimonia infidelium tunc primum incipiunt versari intra fines potestatis ecclesiae, quando saltem unus baptizatus fuerit; ergo ipse contractus nullo modo subiacebat legibus ecclesiae. Quodsi nihilominus in casu exclusivum iudicium de existentia talium foederum ipsa ecclesia sibi reservat, quamvis in fieri eius competentiae non subessent, eo magis sibi vindicat potestatem et legislativam et iudicialem de iis matrimoniis, quae tum in fieri tum in esse aequali modo subsunt potestati ecclesiae ratione scil. fidei in alterutro contrahentium.

50. Tertium argumentum possumus desumere ex praxi tribunalium Romanorum in concedendis dispensationibus super impedimento disparitatis cultus. In rescripto S. Poenitentiariae et Datariae Apostolicae, quibus conceduntur dispensationes, multae occurrunt clausulae, quae ex magna parte id volunt efficere, ut omnia quae validae fulminationi dispensationis obstare possent, prius e medio tollantur. Sic v. gr. oratores ad cautelam absolvi solent ad hoc „a censuris, sententiis et poenis ecclesiasticis“, quae forte effectum dispensationis frustrarent. Porro in omnibus fere S. Poenitentiariae rescriptis[1]) clausula invenitur „dummodo aliud eis (oratoribus) non obstet canonicum impedimentum“, qua admonetur executor rescripti, ut quam potest diligentissime inquirat de omnimoda habilitate contrahentium ante fulminationem dispensationis. Attamen in rescriptis S. Officii[2]) et S. Congr. de Prop. Fide, quibus conceduntur dispensationes super impedimento disparitatis cultus, nulla adest clausula, qua praescribatur investigatio de aliquo impedimento civili forsitan obstante. Nonne ex tali praxi certo sequitur ecclesiam impedimenta huiusmodi quoad validitatem matrimonii in casu nihil curare? Quodsi enim conditiones, quae evidenter requiruntur ad effectum dispensationis v. gr. quod aliud non debeat obstare canonicum impedimentum, expressa clausula executori inculcantur, quanto magis inculcanda esset inquisitio, an forte obstaret civile aliquod impedimentum, si immunitas directa a tali quo impedimento exigeretur pro validitate matrimonii inter fidelem et infidelem!

51. Propter rationes allatas tenemus omne matrimonium, quod inter fidelem et infidelem dispensatione obtenta R. Pontificis super impedimento cultus disparitatis contrahitur, nullo modo affici et irritari impedimentis dirimentibus forte constitutis a iure civili. Ita etiam Resemans[3]) quamvis ratio, quam affert, minus solida esse videatur. Dicit enim: „Si alterutra pars baptizata fuerit et forsitan ius canonicum, quo dispensatione obtenta valet, opponatur civili, vi cuius impedimentum dirimens supponitur, illud scil. ecclesiasticum praedominet necesse est:

---

auf der Selbständigkeit und Unabhängikeit des kirchlichen Forums, wie bei Beurtheilung sonstiger Ehesachen unter Christen, so auch bei Würdigung einer von einem Christen vor seiner Bekehrung geschlossenen Ehe.“ Sed hic laudatus canonista ecclesiae videtur plus vindicare, quam ipsa sibi vindicat. Cfr. decisiones S. Congr. de Propag. Fide de 26. Iun. 1820 et S. Officii de 20. Sept 1854 apud Resemans, l. c. p. 70. et 81. et expositionem ipsius auctoris pagg. ssqq.

[1]) Formulae dispensationum concessarum a S. Poenitentiaria apud Gasparri II. in Appendice p. 460—462.

[2]) Formulae dispensation. concess. a S. C. S. Officii l. c. p. 463. et not. 2. a linea.

[3]) l. c. p. 2.

Unum enim idemque matrimonium nequit quoad validitatem a duplici lege pendere; et in conflicto iuridico praevalere debet ius superius, illius nimirum auctoritatis, quae est ratione finis superior." — Sed unum idemque matrimonium non posse quoad validitatem pendere a duplici lege, non velim tam generaliter concedere. Supponamus duos infideles e diversis regnis contrahere matrimonium v. gr. duo Hebraei, alter Parisiensis, altera Berolinensis; contrahunt Parisiis. Mulier Berolinensis omnino immunis est ab omni impedimento naturali vel civili, attamen vir Parisiensis non potest valide contrahere, quia nondum complevit annum decimum octavum legislatione Gallica requisitum pro validitate matrimonii. Matrimonium consequenter est invalidum. Et tamen non potest dici in casu esse conflictum inter legem Germanicam et legem Gallicam. Tunc esset conflictus iuridicus, quando matrimonium tale, quod irritum est propter inhabilitatem alterius oriundam ex lege Gallica, a lege Germanica validum declararetur. Nam unum idemque matrimonium non potest esse irritum in Gallia, validum in Germania. Sed optime potest esse alter contrahentium immunis ab impedimento ex lege Germanica, alter inhabilis ex lege Gallica et deinde matrimonium irritum et in Gallia et in Germania. Ergo primo debuerat Resemans probare, quod nos probare conati sumus, nimirum ecclesiam exclusive sibi reservasse potestatem in matrimonia fidelem inter et infidelem, ita ut matrimonia huiusmodi inita cum dispensatione Pontificis firma et valida habeat, etsi alteruter ex iure civili omnino inhabilis erat ad valide contrahendum. Ita enim efficitur verus conflictus inter legem ecclesiasticam et legem civilem et quaestioni sic positae potest applicari principium, quod in casu conflictus iuridici illa potestas debet praevalere, quae finem habet superiorem i. e. in casu ecclesia.

52. Alter auctor, qui sententiae a nobis propugnatae expresse favet, est de Scherer, quamvis iterum fundamentum approbationis eius solidum dicere non possimus neque conclusionem ex ipsa sententia deductam. Dicit enim eruditissimus ille canonista:[1) „Aus der Unteilbarkeit der Ehe folgt, dass eine Mischehe durchaus unter das canonische Recht fällt und gerade deshalb nichtig ist." — Sed ex individuitate matrimonii non sequitur matrimonium ita mixtum omnino cadere sub lege canonica, sed solummodo ipsum posse irritari a lege canonica, minime autem ipsum posse eadem lege validari in momento contractus (liceat sic dicere), ita ut non obstante aliquo impedimento civili sit validum obtenta dispensatione Pontificia; hoc non sequitur ex sola individuitate, sed ex iis, quae supra diximus, nimirum ex quadam communicatione exemptionis propter individuitatem contractus a divino iure ita concessa, ut propter fidelem, cum quo contrahit, etiam infidelis sit immunis in re matrimoniali ab omni potestate, quae inferior est ecclesiastica. — Neque conclusio a de Scherer facta, recte deducitur; nam nullitas matrimonii ita mixti (quando sine dispensatione Pontificia contrahitur) non sequitur ex eo quod tale matrimonium omnino (durchaus) cadit sub lege canonica, sed iam ex eo quod etiam cadat sub hac lege.

53. Transeamus nunc a disputatione theoretica ad casus quosdam practicos, in quibus principium immunitatis ab impedimentis civilibus,

---

1) l. c. II. § 114. II. not. 13. fin.

qua gaudet in matrimoniis inter fidelem et infidelem pars infidelis, vim suam et effectum exserat.

In regionibus ethnicorum, ubi saepius datur ab Ecclesia dispensatio super impedimento disparitatis cultus, matrimonium obtenta dispensatione contractum inter fidelem et infidelem omnino validum est, etsi obstat aliquod impedimentum dirimens a potestate civili constitutum; potest etiam clandestino modo valide contrahi, nisi in ipsa dispensatione forma Tridentina ut conditio necessaria apposita fuit.

In terris fidelium, ubi quidem rarissime dispensatio conceditur super impedimento disparitatis cultus, idem valet. V. gr. in novo codice civili imperii Germanici existit unicum[1]) impedimentum dirimens stabilitum in § 1324 quoad matrimonium, in quo totaliter neglecta fuit forma in § 1317 pro ineundo matrimonio praescripta. Certo hoc impedimentum infideles subditos ita afficit, ut eorum matrimonia revera nulla faciat et irrita coram Deo et conscientia, nisi observata fuerit forma illa civilis.[2]) Infidelem autem nullo modo afficit, v. gr. Hebraeum, si contrahit cum muliere fideli; ideo valide contraheret, etsi quomodocumque actui civili se subtraxisset. Per se posset in tali matrimonio etiam negligi forma Tridentina, sed in rescriptis dispensationis a S. C. Inquisitionis concessis semper solet exprimi conditio, ut matrimonium contrahatur in facie ecclesiae.[3])

In magnis praesertim civitatibus v. gr. Berolini saepissime accidit nostris temporibus, quibus deploranda illa lues, quam indifferentismum vocant, grassatur longe lateque, quod aliquis sine baptismo vel cum baptismo quodam, qui ob defectum substantialem nihil habeat nisi apparentiam quandam sacramenti, adolescat inscius omnino se non esse baptizatum et nomen catholicum vel societatis cuiusdam christianae sibi tribuens et ita saepissime contrahit matrimonium.

Supponamus Titium sibi dare nomen catholicum revera autem propter incuriam parentum non esse baptizatum, quin tamen talis defectus unquam conscius fuerit. Matrimonium contrahit cum Bertha catholica coram parocho eius Berolini, postquam contractui civili dolose se subtraxit. Quid dicendum de tali matrimonio v. gr. si postea detegatur defectus baptismi in Titio? Matrimonium est validum. Nam Titius infidelis propter Bertham fidelem immunis est ab impedimento civili. Impedimentum autem ecclesiasticum cultus disparitatis in tali casu non adest, quia si ante nuptias baptismus utriusque certus habetur et post nuptias una pars deprehenditur non esse baptizatus, matrimonium certe validum est, quia consuetudo ecclesiae, qua tale impe-

---

[1]) Dicimus unicum, quia omnia alia impedimenta, quae in illo codice ut irritantia stabiliuntur (vide Bürgerliches Gesetzbuch d. Deutschen Reiches § 1324—1328) matrimonium non reddunt irritum nisi ex post sc. postquam accusatione facta iudex ea irrita (nichtig) declaraverit et tunc habenda sunt ut „irrita“ inde ab initio (§ 1343). Quapropter non videntur esse quoad infideles impedimenta dirimentia in sensu canonico, quae matrimonium sine ulla accusatione et etiamsi occultissima sint, reddant omnino nullum et irritum. Sic videtur etiam sentire Lehmkuhl (Das Bürgerl. Gesetzb. des D. Reiches) in nota ad § 1329: „Nur bei einer formlosen Ehe, welche auch nicht im Heiratsregister steht, ist die Nichtigkeit ohne Klage perfekt;“ et p. 342.: „der Spruch (sc. iudicialis sententia irritans matrimonium propter alia impedimenta in § 1324 usque ad 1328 contenta) hat also eine rückwirkende Kraft! Bis zum Urteilsspruche galt die Ehe als gültig.“

[2]) Lehmkuhl, l. c. p. 331. in secund. a linea.

[3]) Gasparri, l. c. I. n. 622.

dimentum fuit introductum,[1] hunc casum non respiciebat, ideoque impedimentum in casu non existit.[2] Imo etiam validum est, quando similiter forma ab ecclesia in concilio Tridentino praescripta neglecta fuerit, quia Titius ut infidelis erat immunis ab impedimento ecclesiastico et hanc immunitatem communicavit cum Bertha catholica. — Idem omnino dicendum, si Titius contraheret cum Ioanna valide baptizata sed Protestantismo adscripta.

---

[1]) Bened. XIV. in Constit. Singulari nobis § 10 (Bull. Bened. XIV. tom. III. p. I. p. 12.) Berardi, Commentaria in Ius ecclesiasticum univers. Venet. 1778 tom. III. diss. IV. c. 5. p. 133.

[2]) Gasparri l. c. I. n. 597—598.; Lehmkuhl, Theolog. moralis II. n. 752; de Scherer hanc sententiam reprobat l. c. II. § 123. not. 12.

## Pars II.

# De individuitate matrimonii ut sacramenti.

### § 1. Quid hac in re controversum sit, definitur.

54. Hucusque egimus de individuitate matrimonii ut contractus cuiusdam bilateralis, qui ex natura sua claudicare non possit. Nunc inquirendum est, an matrimonium etiam gaudeat individuitate ut sacramentum a Christo Domino institutum.

55. Qua in re nulla invenitur difficultas relate ad illa matrimonia, quae contrahuntur inter fideles. Nostris enim temporibus ne minimum quidem dubium superest, quin omne matrimonium, quod valide celebratur inter baptizatos, habeat qualitatem sacramenti sensu stricto i. e. unius ex septem. Hac in re saltem ex quo a Pio IX. reiecta[1]) est opinio illa professoris Nuytz Taurinensis matrimonii sacramentum non esse nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile ipsumque sacramentum in una tantum benedictione nuptiali situm esse, omnes catholici conveniunt. Inter baptizatos igitur non potest esse contractus matrimonialis, quin simul sit sacramentum N. F. et viceversa. Ergo cum contractus matrimonii sit individuus, eadem individuitate sacramentum inter baptizatos debet gaudere i. e. aut valide contrahunt et tunc uterque recipit sacramentum, aut invalide et tunc neuter particeps fit sacramenti.

Quam ob causam opinio illa quae ab antiquioribus quibusdam defenditur inter duos fideles contrahentes sacramentum matrimonii recipi posse ab uno tantum, quando alter habeat intentionem contrahendi matrimonium et administrandi alteri sacramentum, quin tamen ipse velit sacramentum recipere, nostra aetate a viris catholicis amplius teneri non potest. Quae opinio quomodo in se sit improbabilissima, quia repugnat genuinae notioni ipsius sacramenti matrimonii, suo loco videbimus.

56. Altera autem quaestio est illa, an inter duos contrahentes, quorum alter tantum baptizatus est, alter infidelis, si obtenta dispensatione super impedimento disparitatis cultus valide matrimonium initur, sacramentum ita possit veluti dimidiari, ut pars baptizata recipiat sacramentum, econtra pars infidelis illud non recipiat, quia incapax est sacramenti propter baptismi defectum. Hac in quaestione

---

[1]) Syllab. n. 66.; Leo XIII. Encycl. „Arcanum div. sapient. consilium“ d. d. 10. Febr. 1880.

auctores in duas partes secedunt; altera eaque maior pars indivisibilitatem sacramenti defendit, dum pars altera coniugi fideli vindicat sacramentum, quod non potest recipere coniux infidelis. Utra autem opinio nobis probabilior videatur, postea exponemus; prius aliqua dicenda sunt de ipsius controversiae historia et de libris, in quibus hac de re agitur.

### § 2. Notae historicae et litterariae de hac controversia.

57. An in ipsa Sacra Scriptura haec nostra controversia de individuitate matrimonii attingatur, controversum est, quia alii ex Apostoli verbis I. Cor. 7. 14. relate ad hanc quaestionem concludi aliquid posse contendunt, dum alii id negant. At hac de re infra melius dicemus.

58. Ex scriptis deinde SS. Patrum et antiquorum auctorum si quis sibi proposuerit aliquid eruere quoad rem, de qua agimus, maximam difficultatem in eo inveniet, quod per tot saecula imo usque ad tempora Hugonis a S. Victore et Petri Lombardi certa et stabilis terminologia in hac materia non fuit recepta et ipsa vox „sacramentum matrimonii“ vario sensu adhibebatur. Attamen ut iam Patres matrimonio christiano dignitatem sacramenti attribuisse, quamvis nullibi scholastico modo ea, quae ad essentiam alicuius sacramenti requiruntur, in matrimonio adesse data opera demonstraverint, constat ex eo, quod matrimoniis Christianorum dignitatem aliquam et gratiam vindicent, quas omni alii foederi denegent:[1]) ita iidem Patres, quia hanc praerogativam etiam abiudicant iis coniugiis, quae inter fideles et infideles ineuntur,[2]) huiusmodi matrimonia sacramentali dignitate omnino vacua censuisse videntur. Ceteris autem clarius et expressius hac de re loquitur S. Ambrosius. Qui illas nuptias acerrime improbat, non solum propter perversionis periculum, quod vix non semper adsit, sed absolute, etiamsi in utroque coniuge vera fides inveniatur, deficiat tamen in alterutro baptismi sacramentum: „Si Christiana sit, non est satis, nisi ambo initiati sitis sacramento baptismatis.“[3]) Ex his videtur etiam tale matrimonium omni gratia destitutum habuisse. Quodsi hoc supponamus, facilius intelligi potest, quomodo matrimoniis ita mixtis idem S. Pater omnem benedictionem Ecclesiae atque adeo nomen veri coniugii deneget.[4])

Quid in Oriente de matrimoniis cum infidelibus contractis iudicaverint, indirecte potius velim desumere ex eo, quod praesertim Clemens Alexandrinus et Origenes specialem illam gratiam, qua Christiani participes fiant in coniugio, ex unione utriusque coniugis cum Christo derivent. Ita Clemens, postquam felicitatem mere naturalem, quae in coniugio cum uxore bene morata habetur, verbis

---

[1]) Cfr. praesertim Klee, Die Ehe. 1835. et opera Uhrig et Schanz et Freisen aliorumque, quos iam citavimus vel mox citabimus.

[2]) Huiusmodi matrimonia usque ad saec. VI. in ecclesia pro validis habita fuisse omnes auctores consentiunt, si excipias unum alterumve ut v. gr. Binterim, Denkwürdigkeiten. 1830. 6, 1. p. 419 sqq.

[3]) De Abrah. lib. I. c. 9. (Migne, $14_{,473}$.)

[4]) „Nam cum ipsum coniugium velamine sacerdotali et benedictione sanctificari oporteat, quomodo potest coniugium dici, ubi non est fidei concordia.“ Epist. ad Vigil. (Migne $16_{,984}$ sq.)

poetarum descripsit, his prosequitur: „„Ἁγιάζεται“ γοῦν καὶ γάμος κατὰ Λόγον τελειούμενος ἐὰν ἡ συζυγία ὑποπίπτῃ τῷ Θεῷ καὶ διοικῆται μετὰ „ἀληθινῆς καρδίας ἐν πληροφορίᾳ πίστεως“ ἡγνισμένων τὰς καρδίας ἀπὸ συνειδήσεως πονηρᾶς καὶ λελουμένων τὸ σῶμα καθαρῷ ὕδατι καὶ ἐχόντων τὴν ὁμολογίαν τῆς ἐλπίδος.“ [1]) Similiter Origenes: „Εἶτ' ἐπεὶ ἔδει τηρεῖσθαι τῷ κολλωμένῳ Θεῷ τῷ γενέσθαι αὐτὸν πρὸς αὐτὸν ἓν πνεῦμα, λέλεκται ἐπὶ τῶν ὑπὸ Θεοῦ συνεζευγμένων μετὰ τό· „Ὥστε οὐκέτι εἰσὶ δύο“ τό· „Ἀλλὰ σάρξ μία“. Καὶ ὁ Θεός ἐστιν ὁ συζεύξας τὰ δύο εἰς ἕν, ἵνα μηκέτι ὦσι δύο παρ' οὗ ἁρμόζεται ἀνδρὶ γυνή· καὶ ἐπεὶ ὁ Θεὸς συνέζευξε, διὰ τοῦτο χάρισμά ἐστιν ἐν τοῖς ὑπὸ Θεοῦ συνεζευγμένοις . . .“ [2]) Quodsi autem dignitas sacramentalis, quae est in unione maritali, essentialiter provenire describitur ex utriusque contrahentis uniore cum Christo capite per baptismum effecta, eadem dignitas res individua habita fuisse videtur. Quod magis apparebit, quando infra hoc argumentum ex natura sacramenti matrimonii desumptum latius explicaverimus.

59. Cum inde a VI. saeculo paulatim consuetudine introductum fuisset impedimentum disparitatis cultus, super quo per multa saecula dispensari non solebat, deerat occasio discutiendi nostram quaestionem, etiam postquam doctrina de sacramentis scholae disputationibus magis exculta fuit. Itaque ipse Doctor Angelicus expresse de hac re non loquitur. Quae enim a Ferraris adducuntur (sive a quodam recentiori editore operis eius) non sunt verba S. Thomae, sed verba ipsius auctoris sive editoris, qui S. Doctorem ad tuendam suam sententiam aliquantulum corrigere non dubitavit. [3]) Maiori cum fundamento forte S. Thomam pro individuitate sacramenti stetisse quis asserat propter ea, quae leguntur in Suppl. q. 59. a. 1. ad 5., ubi ostenditur, cur disparitas cultus sit impedimentum dirimens, minime autem mixta religio: „Ad 5. dicendum, quod matrimonium est sacramentum; et ideo quantum pertinet ad necessitatem

---

[1]) Stromat. l. 4. c. 20. (Migne, P. Gr. 8,1338.)

[2]) Comment. in Matth. tom. 14. n. 16. (Migne, 13,1228 sq.)

[3]) En

| ita S. Thomas: | ita Ferraris: |
| --- | --- |
| Ad primum dicendum, quod matrimonium non est tantum institutum in sacramentum, sed etiam in officium naturae, et ideo quamvis infidelibus non competat matrimonium secundum quod est sacramentum in dispensatione ministrorum consistens, competit tamen eis inquantum est in officium naturae; et tamen etiam matrimonium tale est aliquo modo sacramentum habitualiter, quamvis non actualiter eo quod actu non contrahunt in fide ecclesiae. (IV. dist. 39. qu. un. a. 2. ad 1.) | Divus Thomas in dist. 39. q. unica, a. 2. ad I. dicit, quod quamvis illud matrimonium respectu non baptizati non sit sacramentum, sit tamen potentia, quatenus immediate ac fuerit baptizatus, sit actu postea tale eidemque confert gratiam sacramentalem. (l. c. n. 19.) |

Mira prorsus methodus citandi auctorem! Nam ne verbulo quidem S. Thomam attigisse nostram controversiam quis non statim videt? Loquitur enim de matrimonio ab utroque infideli inito, minime vero de matrimonio quoad cultum mixto, ut somniat Ferraris. Etsi supponamus d. Doctorem verbis suis insinuasse duorum infidelium legitimum foedus per utriusque baptismum fieri sacramentum, quid inde sequitur quoad nostram controversiam? Plane nihil; nam toto coelo discrepat quaestio, an matrimonium in infidelitate contractum sacramentum fiat per utriusque baptismum ab altera quaestione, an sacramentum matrimonii possit dimidiari, ita ut sit in uno contrahente et deficiat in altero.

sacramenti, requirit paritatem quantum ad sacramentum fidei, scilicet baptismum, magis, quam quantum ad interiorem fidem". Ex his videtur sequi baptismum utriusque contrahentis iure divino requiri ad matrimonium, quatenus est sacramentum, ergo ecclesiam non posse dispensare super disparitate cultus ad ineundum matrimonium sacramentale. Cum vero nostris temporibus de facto dispenset de illo impedimento, secundum doctrinam S. Thomae videtur dispensare nonnisi ad ineundum matrimonium mere legitimum. — Miror a nullo auctore hunc locum S. Doctoris citatum esse in favorem individuitatis sacramenti. —

60. Ex professo dein haec controversia tractari coepit ab illis theologis et canonistis, qui post Concilium Tridentinum de matrimonio fuse tractarunt. Inter quos Dominicus Soto [1]) adoptavit sententiam, quam ni fallor, paucis ante eum annis iam proposuerat Ambrosius Catharinus in explicatione Apostoli I. Cor. 7.14., scil. sacramentum matrimonii veluti dividi posse, quando dispares cultu cum dispensatione Pontificis contrahant. Sed usque ad finem saec. XVIII. paucos invenit sectatores, cum praeclarissimi auctores pro individuitate sacramenti certarent, veluti Gutierez [2]) († post a. 1601), Petrus de Ledesma [3]) († 1616), Pontius [4]) († 1629), Aegidius de Coninck [5]) († 1633), Martinus Perez [6]) († 1660), Pirhing [7]) († 1679), Schmier [8]) († 1728), Schmalzgrueber [9]) († 1735), Gotti [10]) († 1742), Billuart [11]) († 1757), praeeuntibus Vasquez [12]) († 1604) et Sanchez [13]) († 1610). Itaque sine exaggeratione Vasquez et Pontius suam sententiam in scholis absque controversia doceri affirmare videntur. Contra quos a Tournely [14]) († 1729) praesertim et Collet [15]), qui opera eius continuavit, repristinata videtur opinio Catharini. Sed bene notandum est utrumque auctorem sacerdotem habere ministrum sacramenti matrimonii et propugnare sententiam, quae tenet sacramentum etiam in matrimonio christiano posse separari a contractu; itaque facilius forte intelligitur, cur reliquerint sententiam tunc communiorem de individuitate matrimonii ut sacramenti.

Ultimo autem saeculo sententia Catharini et Dominici Soto, quae recepta est in „Bibliotheca" Ferraris [16]), plures invenit fautores, inter

---

[1]) Commentar. in libr. 4. sentent. Venetiis 1598. tom. 2. dist. 27. q. 2. a. 2.
[2]) Canonicae quaestiones circa sponsalia de futuro et matrim. Antverp. 1618. c. 42. n. 4.
[3]) l. c. in addit. ad qu. 59. a. 2.
[4]) l. c. lib. 7. n. 8.
[5]) De sacramentis et censuris. tom. 2. Lugduni 1634. disp. 24. n. 24.
[6]) De S. Matrimonii Sacramento. Lugd. 1646. disp. 19. s. 12. a. 1—4.
[7]) l. c. l. 4. t. 1. n. 71.
[8]) l. c. l. 4. tr. 2. c. 1. n. 40—41.
[9]) l. c. l. 4. t. 1. n. 307.
[10]) Theologia. tom. 3. tr. 13. dub. 2. n. 10 Venet. 1763.
[11]) Summa S. Thomae. t. 7. Paris. 1872. De matr. d. 1. a. 5.
[12]) De Sacram. Matrimonii. Lugd. 1631. d. 2. c. 10. n. 113.
[13]) l. c. l. 2. d. 8. n. 2.
[14]) Praelection. theol. tom. 11. Venet. 1731. q. 2. a. 2. vel Cursus theol. tom. 3. Colon. 1734. q. 2. a. 2. concl. 2.
[15]) Institutiones theol. tom. 2. Aug. Taurin. 1764. p. 526.
[16]) Bibliotheca. tom. 5. Neap. 1853. p. 170—171 s. v. „Matrimonium."

quos Perrone[1]), Palmieri[2]), Pesch[3]), de Scherer[4]), Sasse[5]), Lehmkuhl[6]), dum a partibus Sanchesii stant Uhrig[7]), Hurter[8]), Simar[9]), Scheeben[10]), Oswald[11]), Billot[12]), Bautz[13]), Gihr[14]). Pauci rem in dubio relinquunt uti Carrière[15]), Clericatus[16]), Gasparri[17]), Santi-Leitner[18]). Schell denique defendere videtur singularem sententiam, iuxta quam in matrimonio quoad cultum mixto sacramentum sit ex utraque parte[19]).

## § 3. De argumentis, quae in hac controversia hinc inde proferuntur.

61. Quodsi argumenta inspicimus, quibus utuntur viri docti, ut individuitatem sacramenti matrimonii aut adstruant, aut impugnent, certe hoc concedendum est hos numero plura argumenta proponere, quam illos, qui fere unico fulciuntur. Nihilominus hoc unicum me quidem magis convincere fateor, quam adversariorum copiam.

Quare in sequenti discussione unicum illud argumentum ita proponam, ut aptis locis rationem habeam eorum, quae a patronis alterius sententiae contra individuitatem sacramenti proferuntur; dein duo attingemus argumenta, quae immerito videntur afferri in nostrum favorem; ultimo de eis erit disputandum, quae ab adversariis non tam ex natura rei, quam ex auctoritate desumuntur.

Prius tamen haec velim praenotasse. Cum tanta sit auctorum multitudo, qui de hac controversia tractarunt, non tanta est argumentorum varietas. Nam, uti iam dixi, pro individuitate matrimonii sacramenti communiter nonnisi unicum idemque affertur argumentum, quod aliquantulo fusius exponere mihi proposui; quae autem ab adversariis proponuntur, si abstrahamus a recentioribus quibusdam SS. Congregationum decretis, tria vel quatuor sunt numero. Itaque ne dicta dicam, satis erit haec argumenta afferre verbis unius alteriusve auctoris, qui rem fusius exposuit: attamen quicumque ipse libros,

---

[1]) l. c. t. 2. p. 306—311.
[2]) l. c. p. 103—104.
[3]) l. c. n. 728.
[4]) l c. tom. 2. § 123. not. 9.
[5]) Institut. theol. de Sacramentis. vol. 2. Friburg. 1898. p 390 sq.
[6]) ibid. in not.
[7]) System des Eherechtes. Dillingen 1854. p. 351.
[8]) Theol. dogm. Compend. t. 3. Oenip. 1893. p. 526.
[9]) Wetzer und Welte, Kirchenlexikon ed. 2. vol. 4. p. 149.
[10]) Die Mysterien des Christent. 2. ed. Freib. 1898. p. 533—34.
[11]) Die dogm. Lehre von den hh. Sakramenten. 5. ed. Münster 1894. p. 500.
[12]) l. c. p. 353—355.
[13]) Grundzüge der kath. Dogmat. 4. T. Mainz 1893. p. 211.
[14]) Die hh. Sakramente. 2. B. Freib. 1899. p. 487—88.
[15]) De matrim. Paris. edit. 6. n. 49.
[16]) De matrim. dec. 6. n. 49.
[17]) l. c. n. 229.
[18]) l. c. l. 4. n. 96.
[19]) Kathol. Dogmatik. 3. Bd. 2. T. Paderborn 1893. p. 688., ubi de hac controversia parum clare disputat auctor, qui postquam asseruit: „Es ist nun kein Grund vorhanden, eine gesetzmässige Ehe zwischen Christ und Nichtchrist als nur einseitig sakramental zu erklären“ in sequenti alinea iis utitur argumentis, quae ad summum possent probare partem infidelem sacramentum administrare fideli, quamvis ipse illud recipere non possit.

qui de hac materia agunt, percurrerit, nullum alicuius momenti argumentum neglectum esse concedet.

62. Matrimonium etiam ut sacramentum individuum esse sequitur ex individuitate matrimonii ut contractus. Ita omnes, qui nostram sententiam propugnant v. gr. inter primos Sanchez l. c.: „Dicendum est (inter dispares cultu valide contrahentes) ex parte neutrius esse sacramentum, quia matrimonium in utroque coniuge est unum numero sacramentum, sicut est unum numero matrimonium; ergo si in uno non est sacramentum, nec erit in altero.“ Quod argumentum latius et uberius ita proponi posse videtur:

1) Sacramentum matrimonii, ut hodie constat inter omnes, non accedit ad contractum, sed totum est in contractu inter baptizatos inito idque formaliter, i. e. sacramentum est in contractu, qua est contractus. Utique potuisset Christus Dominus ita instituere sacramentum, ut perficeretur in contrahendo, quin omnino idem esset atque contractus v. gr. potuisset verba, quae exprimunt consensum, ita formam facere sacramenti, ut verbis alterius alteri conferretur sacramentum independenter a verbis socii et tunc facilius intelligeretur potuisse fieri, ut contractu valide inito sacramentum solummodo ab altero coniuge reciperetur, v. gr. quia in socio deerat sufficiens intentio administrandi sacramentum, vel quia alterutra pars non erat capax recipiendi sacramentum propter defectum baptismi, quamvis forte capax esset ad administrandum sacramentum secundum analogiam eius, qui non baptizatus valide administrat baptismum. At ratio sacramenti matrimonii tam perfecte et tam independenter ab omni intentione contrahentium adest in valido contractu fidelium [1]) ut quicumque baptizati contrahunt [2]), etsi nesciant se esse baptizatos nihilque unquam audierint de sacramento matrimonii, recipiant sacramentum, si intendant verum contrahere matrimonium. Nam intentio baptizatorum perficiendi contractum natura sua religiosum obiective est vera intentio faciendi, quod facit ecclesia [3]).

2) Contractus est individuus, ut vidimus, quia non est in

---

[1]) Ergo nostra aetate archaeologiae dogmaticae et canonicae relinquenda est quaestio, an sacramentum in contractu baptizatorum possit esse ex una parte et non ex altera. Quod Henno, Theol. dogm. Venet. 1719. vol. 2. tr. 8. d. 2. c. 2. fieri posse censet vel ita, ut altera pars nolit recipere sacramentum, quod a comparte sibi quasi offertur, vel si in contractu fidelium utraque pars sibi sacramentum administrare cogitatur, ita ut alterutra pars velit quidem contrahere, non autem sacramentaliter.

[2]) Unde frustra provocatur a Tournely, Ferraris, Perrone, Schell, aliisque ad „paritatem“ cum baptismo, cum talis paritas quoad rem, de qua agitur, non adsit. Nam baptismus administratur a persona singulari applicatione materiae et formae; econtra sacramentum matrimonii a duobus personis, qui con-trahendo materiam et formam conficiunt. Quamobrem non me commovet, quod Schell dicit cum emphasi: „Warum soll der Mensch, das lebendige Ebenbild Gottes, nicht geeignet sein, dem christlichen Ehegatten in der Hand Gottes als vielfältiges Werkzeug der Gnadeneinflüsse zu dienen, wenn Wasser und Oel dazu benutzt werden?“

[3]) Quis e. gr. velit negare, sacramentum matrimonii receptum fuisse a duobus illis Sinensibus, quos finxit Craisson (Revue des sciences ecclésiast. 35. (1877) 369—377.), qui in prima iuventute baptizati postmodum matrimonium contrahunt inter se nihil omnino scientes neque de suo baptismo, neque de sacramento matrimonii, neque generatim de fide catholica. — de Scherer l. c. 2. p. 373. not. 10.

uno et in altero contrahentium, sed est unio duarum voluntatum, quae ad diversa (reciproca) tendunt scil. id quod petit A, concedere vult B, et quod petit B, concedere paratus est A. In eo momento, quo promittit A et accipit B, et simul promittit B et accipit A, duae voluntates quasi duae lineae transversae convergunt in unum punctum indivisibile, quod est contractus. Ergo contractus non est in A vel in B sed est punctum, in quo confluunt duo consensus (vel potius assensus).

3) Quodsi ergo sacramentum coincidit cum contractu et contractus est individuus, etiam contractus ut sacramentum debet esse individuus. Quoties igitur alteruter contrahentium impeditus est ad conveniendum sacramentaliter, sacramentum effici non potest, quia neuter capax est ad conveniendum sacramentaliter; unus quidem per se est incapax, alter vero ratione compartis, cum solus sacramentaliter con-venire non possit. Et ita res se habet in coniugio disparum cultu.

Quod melius forte apparet, si supponimus matrimonium inter baptizatum et non baptizatam esse sacramentum. Quid sequeretur? Tale matrimonium non esse validum ratione contractus. Nam in tali casu baptizatus obiective saltem intendisset tradere se et accipere alterum ad unionem sacramentalem, non baptizatus econtra intendisset tradere se et accipere alterum ad unionem naturalem, quae toto coelo discrepat ab illa. Itaque duo assensus nunquam possunt confluere in unum, sicut duae lineae non possunt convergere, si non currunt in eodem plano, quamvis forte directione, quam habent in diversis planis, tendant ad sese secandum, aliis verbis: Duo illi assensus non habent consimile obiectum, ergo non potest esse conventio.

63. Ea quae ab adversariis adducuntur contra hanc rationem ex conceptu contractus deprompam inde videntur profluere, quod non satis urgeant eam doctrinam, in qua tota nostra argumentatio fundatur scil. identitatem sacramenti cum contractu fidelium. Ita v. gr. Pesch[1]): „Quod . . aiunt de inhabilitate ad contrahendum sacramentaliter nihil probat. Licet enim contractus sit unus et consequenter, si duo fideles contrahunt, dici possit unum sacramentum, potest tamen contractus in uno habere qualitatem et effectum annexum, quem non habet in altero, quia haec qualitas et hic effectus in utroque separatim existit, ut si alter digne suscipit sacramentum matrimonii, alter indigne. Unde effectus sacramenti tum quoque, cum duo fideles contrahunt, non est unus, sed duplex". — His verbis auctor ita videtur concludere: Effectus contractus sacramentalis i. e. gratia in utroque separatim existit. Ergo etiam qualitas eiusmodi contractus scil. sacramentalitas. Sed haec ratio claudicat. Debuerat enim probari altera praemissa, quae silentio premitur, scil. idem valere de qualitate, quod valet de effectu. Quod non possumus concedere. Nam qualitas, quam contractus habet ut talis, est in contractu, non vero in contrahentibus, gratia econtra ut effectus contractus sacramentalis effunditur in personas contrahentium; ita uno eodemque et individuo instrumento duplex producitur effectus. Ergo non idem valet de qualitate, quod valet de effectu, ideoque ratio doctissimi viri non tenet.

64. Idem fere dicendum contra Perrone[2]). Quamvis enim

[1]) l. c.

[2]) „Quod vero attinet ad contractus et sacramenti naturam, dicimus alterum ab altero distingui debere. Nam quamvis verissimum sit re unum idemque esse

concedendum sit contractum cogitatione sive natura ac ratione sacramentum praecedere, re tamen, ut ipse auctor affirmat, sunt unum idemque, ideoque sacramentum, quod formaliter coincidit cum contractu, debet sequi naturam contractus. Quae deinde ad illustrandam suam sententiam affert, non sunt ad rem. Ita nimirum post ea, quae in nota attuli, pergit: „Sic ex eadem humo eodemque humore, quibus plantae vivificantur, altera crescit et foecundatur, quia capax est, altera arescit, quia mortua est et infoecunda. Ex duobus, quibus uno eodemque actu confertur absolutio, alter gratia vivificatur sacramentali, alter vero nequaquam, dispositionis eiusdem defectu; et ita porro.“ At in his analogiis non habetur unio nisi mere accidentalis et externa. Numquid enim duae illae plantae ideo humorem percipiunt quia unitae sunt? Minime; alioquin ut altera propter alteram conaresceret, necesse esset. Similiter duo illi poenitentes non *ideo* recipiunt sacramentum poenitentiae, *quia* eodem actu absoluti aliquam unitatem efformant; itaque alter potest sacramenti particeps fieri, quin compars illud recipiat. In matrimonio econtra alter pendet ab altero quoad perceptionem sacramenti, quia sacramentum formaliter est in unione voluntatum, aliis verbis coniuges *ideo* sacramentum recipiunt, *quia contrahendo uniuntur.*

65. His quae hucusque disputavimus videtur iam satis probari ex individuitate contractus sequi individuitatem sacramenti. Quod clarius cognoscetur, si non solum formalem contractus conceptum, sed etiam *intimam sacramenti indolem* accuratius inspexerimus.

Matrimonialis contractus inter Christianos est sacramentum, quia repraesentat mysticum coniugium, quod est inter Christum et Ecclesiam. Sed hoc est ei commune cum contractu naturali, qui inde ab initio erat typica repraesentatio illius mysterii[1]). In sacramentali contractu autem plus habetur, quam *mera* repraesentatio. Sicuti *homo* dicitur microcosmus in comparatione ad macrocosmum i. e. Universum, non quasi esset mera repraesentatio mirabilium Universi, ut imago quaedam, sed ideo, quia omnis creaturae vitam et motum aliquo modo *etiam imitatur* in mira varietate virium et motuum corporis et animae suae, ita etiam sacramentalis contractus non solum repraesentat, *sed etiam imitatur* suo modo mirabilem vitae unionem, quae est inter Christum et Ecclesiam. Haec autem unio fit per *gratiam*; siquidem gratia *Christus* nutrit et fovet *Ecclesiam*, gratia *Ecclesia* adhaeret *Christo* in fide et spe et caritate; itaque fit vera „maritalis coniunctio individuam vitae consuetudinem retinens.“ Haec autem relatio inter divinum sponsum et sponsam eius imitationem quandam habet in contractu matrimonii, qui fit inter Christianos, quia hoc contractu inter contrahentes efficitur *relatio et unio gratiae.* Usque ad momentum contractus utraque pars christiana communicabat per gratiam Christo capiti et mediante capite ceteris membris; contrahendo autem

---

contractum et sacramentum, cogitatione tamen alterum ab altero distinguitur ita, ut contractus natura ac ratione anterior sit sacramento, quod ex illo, dum actu conficitur, seu ex eo instanti, quo perfectus est, exsurgit. Hinc fieri quidem nequit, ut habeatur contractus, quin per modum unius duo in aliquid consentiant, at nulla est repugnantia, quod ex duobus contrahentibus alter ob eius incapacitatem sacramentum non recipiat, recipiat vero ille, qui ad sacramentum idoneus est.“ l. c. p. 310.

[1]) Perrone l. c. I. pag. 36—48.

cum uno ex tot membris init specialem quandam relationem et unionem in ordine ad gratiam, ita ut intra corpus illud mysticum efforment aliud corpus mysticum, microcosmum in macrocosmo[1]). Ita tale matrimonium inter christianos initum plene i. e. repraesentando et imitando sive figurative et practice est „τὸ μυστήριον μέγα" „εἰς Χριστὸν καὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν" (Eph. 5, 32) dum omnia alia coniugia idem sunt solummodo repraesentando sive figurative (theoretice). Illa autem relatio in ordine ad communicandam gratiam effici potest, etiamsi forte alterutra pars christiana non sit habilis ad recipiendam gratiam propter obicem peccati; nam propter baptismi characterem remanet capax ad recipiendum sacramentum et ideo potest inire societatem, quae per se est efficiens gratiam.

Quibus ita dictis de matrimonio inter christianos inito si redimus ad matrimonia quoad cultum mixta non apparet, quomodo possint esse signum practicum unionis Christi cum Ecclesia. Quamvis enim possint repraesentare illud coniugium, imitari illud ut consortium vitae supernaturalis, ut unionem quandam gratiae, non possunt. Cur non possunt? Quia alterutra pars omnino incapax est propter defectum baptismi ad efficiendam illam unionem sacramentalem, sicut qui impotentia laborat incapax est ad ineundum contractum naturalem. Quia ergo ipse contractus inter dispares cultu non est sacramentalis, ideo etiam pars per se capax non recipit sacramentum, quia est incapax ratione alterius.

66. Ex his statim sequitur, cur non possimus subscribere argumento, quod a Lehmkuhl primo urgetur pro divisibilitate sacramenti his verbis: „Matrimonium, cum a parte fideli cum infideli Ecclesia consentiente initur, videtur imperfectiore quidem modo, tamen re vera significare unionem Christi cum singulis Ecclesiae membris, ut ea sibi mundet et sanctificet, sicut significat matrimonium, quod fidelis init cum fideli; i. e. videtur similiter esse signum significans gratiae. Atqui si est signum gratiae similiter significans, nulla est ratio, cur non sit etiam gratiae efficiens in eo qui gratiae illius significatae capax est. Ergo videtur in eo, qui est fidelis seu Ecclesiae membrum, gratiam re ipsa producere: quod est, in fideli esse sacramentum. — Non ita est in matrimonio, quod infidelis cum infideli contraxit . . . Nam hoc matrimonium cum contraheretur, signum sacrum quidem etiam erat, sed signum tantum unionis Christi cum humano genere per assumptam humanam naturam, non signum gratiae divinae singulis communicandae . . ."[2])

Itaque ex diversa significatione, quae inveniatur ex una parte in matrimoniis christianis et in iis, quae inter dispares cultu

---

[1]) Cfr. quae supra p. 47 sq. citavimus verba Clementis Alexandrini et Origenis, item haec ingeniosissimi Scheeben: „In der Taufe ist der Christ durch den ihm verliehenen Charakter Christi in den mystischen Leib des Gottmenschen aufgenommen und gehört demselben mit Leib und Seele an. Wenn er sich nun ehelich mit einer Getauften verbindet, dann treten nicht bloss Menschen, nicht einmal zwei einfach begnadigte Menschen, sondern zwei geweihte Glieder des Leibes Christi zusammen, um sich der Erweiterung dieses Leibes zu widmen . . . Sie können sich unter einander nur auf Grund ihrer Einheit mit Christus vereinigen; ihre beiderseitige Einheit mit dem göttlichen Haupte wird daher auch in die Verbindung, welche sie unter einander schliessen, hineingetragen, um sie zu verklären und zu befestigen." l. c. p. 333—34.

[2]) l. c. p. 392. not.

cum dispensatione ineuntur, ex altera parte in matrimoniis infidelium, auctor probare vult matrimonium inter dispares cultu contractum sequi matrimonium christianum i. e. esse sacramentum ex parte unius, qui est capax suscipiendi sacramenti. Sed hac in re doctissimus vir neque sibi neque communi sententiae perfecte cohaerere videtur. Nam significatio quoad obiectum significatum eadem est in omnibus coniugiis inde a paradiso contractis et nonnisi modus significationis est diversus, cum in matrimoniis infidelium significatio sit theoretica sive, ut supra diximus, mera repraesentatio unionis gratiosae Christi cum Ecclesia; in matrimoniis vero christianis significatio est theoretica et practica sive repraesentatio et imitatio illius unionis. Idem iisdem fere verbis Sasse-Lehmkuhl pag. 372 sq. l. c.: „Quamvis ex verbis Genesis omne futurum matrimonium sit signum unionis Christi cum Ecclesia, non tamen docet apostolus matrimonium in Vetere Lege et in Nova Lege eodem modo esse huius unionis signum . . . Itaque matrimonium in Nova Lege speciali modo est signum unionis cum Ecclesia non solum quatenus est unio viri et mulieris sed etiam quatenus est unio sanctificata.“ At unio Christi cum Ecclesia non est ex una parte, quia est unio; ita et imitatio huius unionis gratiosae non potest esse ex una parte; talis vero esset in matrimonio quoad cultum mixto. Ergo tale matrimonium ex neutrius parte est sacramentum.

*  *
*

67. Postquam praecedenti disputatione ex natura contractus sacramentalis individuitatem sacramenti probare conati sumus, nunc pauca dicenda sunt de duobus aliis argumentis, quae a nonnullis modernioribus in nostrum favorem proferuntur, quin tamen undequaque inexpugnabilia esse videantur.

68. Ac primum quidem a clarissimis viris Gihr et Billot[1]) proponitur, quorum quam brevissime fieri potest verba resumam: Vinculum matrimonii est relatio quaedam aequiparantiae quoad obligationem utriusque contrahentis. Ergo debet esse eadem firmitate in utroque; sed vinculum sacramentale est firmius, quam vinculum naturale. Ergo idem vinculum non potest esse sacramentale in una parte, naturale in altera. — Attamen hoc argumentum non concludit. Sicuti enim, ut supra probavimus, totum illud matrimonium subiacet legibus et tribunali ecclesiae, quia agitur de re religiosa alicuius baptizati, a fortiori, si supponimus matrimonium quoad baptizatum esse sacramentum, debemus concedere ipsum eadem firmitate esse debere in infideli atque in baptizato contrahente. Nam ex adversariorum sententia infidelis sacramentum quidem, quod veluti in eum cadit non potest recipere, quia est incapax, sed incapax non est, quominus ligetur eadem firmitate atque compars, etsi haec firmitas apud eum non proveniat ex sacramento. Ergo ligatur ita. — Gihr vero et Billot, si sibi constare volunt, debent concedere ex sua sententia matrimonium, quod inter fidelem et infidelem contrahitur in utraque parte minus firmum esse, quam matrimonium sacramentale, id quod praxi ecclesiae non est conforme.[2]) Ex qua praxi quamvis nihil possit concludi pro

[1]) ll. cc.
[2]) vide infr. p. 59.

sacramentalitate talis coniugii,[1]), tamen iuxta argumentum ipsorum Gihr et Billot sequeretur sacramentalitas etiam quoad infidelem, quod sane admitti nequit.

69. Alterum argumentum idem Billot[2]) ita instituit: „. . Vi conversionis unius tantum coniugum ad christianam fidem matrimonium prius existens semper manet solubile et reipsa dissolvitur, si parte infideli sine contumelia creatoris cohabitare nolente pars fidelis utens iure suo, quod declaravit Apostolus I. Cor. VII. 15., transeat ad alia vota. Non ergo effectum est sacramentum, quia matrimonium ratum simul et consummatum omnino indissolubile esse veritas est catholica.“ — Huiusmodi argumentum peremptorium esset, si adversarii contendentes matrimonium in baptizato, qui cum infideli contrahit, esse sacramentum, etiam affirmarent matrimonium in infidelitate contractum baptismate alterutrius fieri sacramentum unilaterale. Sed etiam nostra aetate nequaquam omnes theologi et canonistae concedunt matrimonia in infidelitate contracta utriusque baptismo fieri sacramentum.[3]) Qui autem hoc non concedunt ex iisdem rationibus negabunt sacramentum confici in alterutro, quando alteruter baptismum recepit, quamvis forte propugnent sacramentalitatem alicuius foederis, quod initur inter baptizatum hominem et infidelem. Atque adeo sunt, qui matrimonium in infidelitate contractum utriusque baptismo sacramentum fieri censeant et matrimonium cum disparitate cultus initum ex alterutra parte sacramentum esse affirment, nihilominus matrimonium in infidelitate contractum alterutrius baptismo sacramentum fieri negent. Ita Perrone (l. c. p. 311) et Sasse-Lehmkuhl (p. 389 sq. et p. 392 in nota.). Qui auctores quomodo hac in re sibi constent, equidem non video.

* * *

70. Iam transeundum est ad ea adversariorum argumenta, quae non tam ex natura rei, quam ex auctoritate sumpta sunt, quaeque hanc ob causam hucusque non attigimus.

71. Ut incipiam a S. Scriptura, illa quae supra transeunter commemoravi, verba Apostoli (I. Cor. 7. 14): „Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem“, quae ab Eck, Tournely[4]), Collet aliisque iterum et iterum citantur pro sacramentalitate unilaterali matrimonii quoad cultum mixti, ab iis modernioribus, qui fusius et accuratius de hac controversia agunt, non amplius in favorem huius sententiae adducuntur. Et recte quidem. Nam si in illis verbis sermo esset de „sanctificatione“ sacramentali, recte quis cum Schell inde concluderet: „Es ist kein Grund vorhanden, eine gesetzmässige Ehe zwischen Christ und Nichtchrist, als nur einseitig sacramental zu erklären . . . Bedeutsam ist hierfür das Wort Pauli

---

[1]) vide infr. p. 59.

[2]) l. c.

[3]) Gasparri l. c. I. n. 229.

[4]) v. gr. Tournely, postquam suam proposuit thesim de sacramentalitate unilaterali, ita pergit: „Probatur 1) ex . Apostolo. I. Cor. 7. 14., quae nos cum Maldonato supra exposuimus de sanctitate ipsius matrimonii, non de sanctitate sola personarum.“

I. Cor. 7. 14." Verbis enim Apostoli id praedicatur de parte infideli et de liberis, quod praesupponitur in parte fideli, sc. aliqua sanctificatio. — Quamobrem nostra aetate omnes huius loci interpretes consentiunt in eo, quod etiam SS. Patres docuerunt (Augustinus, Hieronymus, Chrysostomus) primo: Sermonem esse de coniugio in infidelitate inito, quod alterutrius conversione iuxta indultum Apostoli solubile evadit[1]); ergo non est sermo de matrimonio inter fidelem et infidelem contracto, quod omnino est indissolubile. Secundo: Sanctificationem, quae inest tali coniugio, quod continuatur post baptismum alterius partis esse externam et theocraticam, quatenus pars infidelis et proles aliquo modo coeperunt sese subtrahere principi huius mundi propter consortium vitae, quod habent cum membro quodam Christi.

72. Magis indirecte Perrone ex verbis Apostoli suam firmare satagit sententiam hoc modo: „Sanctificatus est vir fidelis etc. quatenus nempe alteruter concurrit et cooperatur ad alterius conversionem; quod quidem fieri debet verbo et exemplo, mutua dilectione, patientia ceterarumque virtutum exercitio, quae tali statui maxime conveniunt. Iam vero etiamsi cum non intervenit sacramentum Deus supplere gratiis suis actualibus dicendus sit ad haec omnia rite explenda, attamen nemo negaverit via ordinaria in coniugatis gratias illas actuales ex gratia sacramentali profluere, quae ad ipsas ius tribuit. Absonum porro videtur eos qui legitime contrahunt per dispensationem ecclesiae, ex qua disparitatis cultus impedimentum constitutum est, toto vitae suae tempore gratia adeo opportuna destitui."[2]) — Sed ipse Perrone nobis viam indicat, qua hanc obiectionem ex „aequitate" depromptam diluamus. Nam quas Deus via ordinaria non concedit gratias, eas potest dare via extraordinaria i. e. sine sacramento, quoties sacramentum propter defectum signi externi non potest recipi, quamvis agatur de homine per se capaci et optime disposito ad illud recipiendum. An ss. martyres, qui catechumeni ad supplicium rapiebantur, non erant dignissimi ad recipiendum sacramentum baptismi? Attamen, quia materia et forma sacramenti iis non poterant applicari, non receperunt sacramentum, non receperunt characterem sacramenti. Sed quis velit ex hoc concludere: „Absonum videtur eos, qui pro Christo moriuntur, per totam aeternitatem carere charactere indelebili et ea claritate, quae huic correspondet; ergo dicendum esse videtur, baptismum sanguinis omnino eosdem habere effectus atque sacramentum baptismi." — Credo neminem ita concludere. Eodem modo etiam in nostro casu ex habilitate et dignitate alterutrius contrahentis ad recipiendum sacramentum matrimonii nihil potest concludi. Modus ille argumentandi ex „aequitate" Dei in huiusmodi casibus semper est incerta et vaga probandi ratio; id potius quaerendum est, an in aliquo casu adsit materia et forma legitimaque eorum applicatio; si adest, habetur sacramentum, si non, sacramentum deficit.

Quoad rem, de qua hic agimus, in praxi sic erit distinguendum. Fidelis ille homo matrimonium contraxit cum infideli, aut ex mera levitate cum fidelium scandalo ecclesiam quasi cogendo, ut ad peiora evitanda secum dispensaret — et tunc sibi adscribere debet id quod

---

[1]) Vasquez l. c. De matr. disp. 2. cap. 10; Cornely, Epist. ad Cor. I. p. 185 sq.; Bisping in eund. loc. (p. 106—109).

[2]) Simili modo ad aequitatem Dei provocant Tournely, Collet.

non fiat particeps gratiae sacramentalis et insuper non adeo dispositus videtur ad ubertatem gratiae percipiendam; aut — quod in regionibus ethnicorum et praesertim primis ecclesiae temporibus facile poterat accidere, ex Dei timore contraxit cum pagano, et tunc Deo non deerunt media, ut sine instrumento sacramenti gratiae suae abundantia partem fidelem adiuvet, ut possit sanctificari et sanctificare. Et ita factum esse censemus in coniugiis S. Clothildis, S. Monicae, S. Berthae, S. Edelburgae aliarumque mulierum, quas enumerat Perrone, et quas sine fundamento Schell dicit ne cogitari quidem posse sine sacramento matrimonii ad talem sanctitatem pervenisse. —

73. Ultimo videndum, an ex Constitutionibus Pontificum vel ex decretis SS. Congregationum ratio efficax possit desumi contra individuitatem sacramenti. Ac primum ex verbis Pii VI. ad episcopum Motulensem)[1] Palmieri et Sasse argumentantur ita: „Si matrimonium fidelis cum infideli est purus contractus naturalis, is non legibus ecclesiae sed civilibus subiacebit et tunc poterit quidem illud ab ecclesia prohiberi fideli propter ius, quod ipsa in personam fidelem habet, sed non satis intelligitur, cur sola ecclesia illud possit irritare; teste enim Pio VI. ratio cur ecclesia sola possit irritare est haec, quia nempe contractus est sacramentum; si ergo ille est contractus pure naturalis non potest ab ecclesia sola irritari . . . Iam vero tutum non est negare, quod ecclesia sola possit hunc contractum irritare . . . Ergo . . .“ [2])

Cui argumento indirecte saltem iam satisfecimus supra, ubi egimus de exclusiva potestate ecclesiae quoad matrimonia fidelium cum infidelibus. Respondendum enim est matrimonium ita mixtum etsi sacramentum non sit, tamen pertinere ad ecclesiam, quia vi sua, sponte sua, natura sua, uti loquitur Leo XIII.[3]) est aliquid religiosum, sacrum, quod propter fidelem exclusive subiacet potestati ecclesiae. — Verba autem Pii VI.: „Causae (matrimoniales) non alia ratione pertinent ad unum ecclesiae iudicium, nisi quia contractus matrimonialis est vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis“ de matrimoniis inter fideles contrahendis sunt dicta, in quibus ratio sacramenti absorbet rationem sacri, religiosi; quae ratio adest in matrimoniis inter fidelem et infidelem, ubi ratio sacramenti deficit et propter illam rationem talia matrimonia exclusive pertinent ad ecclesiae competentiam. Ergo ex verbis allatis Pii VI. non potest concludi omnia matrimonia, quae exclusive pertinent ad ecclesiae competentiam, sacramentali fulgere dignitate.[4])

Insuper uti vidimus ipse Pius VI. etiam sponsalia ad exclusivum ecclesiae forum pertinere declarat, quia relationem habeant ad sacramentum, quamvis ipsa sacramentum non sint; quanto magis matrimonium ita mixtum, quod praeiudicat valori secundi alicuius matrimonii, a parte fideli forte contrahendi cum fideli persona, propter intimam relationem ad sacramentum debet subiacere soli potestati ecclesiae. Ergo ex potestate exclusiva ecclesiae quoad matrimonia

---

[1]) supra p. 39 sq.

[2]) Ita Palmieri l. c.; similibus verbis Sasse l. c.

[3]) Arcanum divinae Act. S. Sed. 12. p. 392.

[4]) Postquam hoc scripsi, non sine gaudio inveni simili ratiocinatione vel ipsum P. Lehmkuhl in nota p. 391 argumentum Patris Sasse, cuius librum edidit, refutasse.

inter dispares cultu non datur argumentum ad probandam huiusmodi foederis dignitatem sacramentalem.

74. Sacra denique Congregatio Inquisitionis d. d. 1759 ad quaesitum: „An fidelis, qui ex dispensatione valide contraxit matrimonium cum infideli, transire possit ad alias nuptias, si infidelis discedat, vel cohabitare nolit, vel eam pertrahat ad mortale peccatum?" respondit: Si fidelis praevia dispensatione contraxit matrimonium cum infideli, censetur illud contraxisse cum explicita conditione: dummodo nimirum infidelis secum habitare velit absque contumelia Creatoris; quare si infidelis non servat supradictam conditionem, adhibenda sunt iuris remedia ad hoc, ut eam servet; alias separari debent quoad torum et cohabitationem, non tamen quoad vinculum; quocirca in casu, de quo agitur, coniuge infideli superstite non poterit ad nova vota transire". [1]) — Qua ex resolutione Lehmkuhl hoc modo concludit: „Matrimonium, quod pars fidelis ex dispensatione Ecclesiae inierit cum infideli, indissolubile est, ut dixi, eodem gradu et modo sicut matrimonium inter fideles contractum. Atqui omnimodam indissolubilitatem doctrina Ecclesiae solet repetere ex ratione sacramenti. Ergo etiam illud matrimonium debet saltem aliquo modo esse sacramentum."

Doctissimo viro concedimus Mai. Quoad Min. ita distinguimus: Omnimodam indissolubilitatem doctrina Ecclesiae solet repetere praecipue ex ratione sacramenti: Concedo. Absolute et ex sola ratione sacramenti: Nego. Neque enim omne matrimonium sacramentale est indissolubile neque omne matrimonium indissolubile est sacramentum. Primum constat ex praxi ecclesiae, quae interdum dissolvit matrimonium ratum inter Christianos, quod certe sacramentum est; secundum ex eo quod Christus Dominus, cum matrimonium ad originalem reduxerit integritatem, non solum restituit eius unitatem, sed etiam eius indissolubilitatem non tantum quoad christianos, sed quoad omnes homines[2]): „Quod ergo Deus coniunxit homo non separet". [3]) Sic inde a Christo Domino omnia matrimonia indissolubilia sunt neque ulla humana potestas debet praesumere potestatem separandi aliquam legitimam coniunctionem, nisi specialem acceperit facultatem a Domino. Talis autem facultas nemini data est nisi ecclesiae; huic autem data est non generaliter, sed pro certis quibusdam casibus, qui partim ex S. Scriptura, partim ex praxi ecclesiae cognoscuntur. Sed nemo neque ex S. Scriptura neque ex ecclesiae praxi probare possit illam facultatem esse tam largam, ut ab ea solummodo sint excepta illa matrimonia, quae sacramentum simul et consummata sunt. [4])

---

[1]) Collect. S. C. de Prop. Fide n. 1312, 4 apud Sasse-Lehmkuhl p. 392; simile Responsum d. d. 14. Iun. 1708 apud Perrone l. c. 2. p. 309, unde hic auctor idem desumit argumentum atque Lehmkuhl.

[2]) Feije l. c. p. 401: „Matrimonii indissolubilitas non provenit a sacramento sed per elevationem ad sacramenti dignitatem fuit confirmata, benedicta, sanctificata, validius roborata, matrimonii autem consummatio specialem addit indissolubilitatis rationem. Quare vinculum matrimonii rati fidelium fortius quidem est vinculo matrimonii veri infidelium, non tamen vinculo matrimonii infidelium consummati." — Perrone l. c. 3. p. 150—161.

[3]) Matth. 19, 6.

[4]) Feije l. c. pag. 536: „Huius autem (sc. matrimonii consummati) vinculi dissolutio fieri nequit nisi in casu expresso ab ipso indissolubilitatis

Usque ad nostram aetatem saltem in theoria litigatur, v. gr. an possit ecclesia in favorem fidei solvere matrimonia in infidelitate contracta et consummata, si pars infidelis cum altera parte ad fidem conversa velit pacifice cohabitare. Multis et gravissimis auctoribus huiusmodi potestas ecclesiae non constat, inter quos recensendi sunt v. gr. quod miror ipse Perrone,[1] porro de Angelis,[2] Laemmer,[3] Braun[4] et ipse Benedictus XIV. ad quem immerito in suum favorem provocasse alterius sententiae defensores satis probatur a Kutschker[5] et Feije.[6] Talis autem matrimonii indissolubilitatem Perrone, qui eam admittit non potest repetere ex sacramento, sed solummodo ex firmitate vinculi, quod inter infideles matrimonio legitimo et consummato nectitur, fortioris, quam vinculum matrimonii rati. — Similiter ii qui negant matrimonium in infidelitate contractum baptismate utriusque partis fieri sacramentum, minime dubitant de indissolubilitate eiusmodi coniunctionis, saltem si post baptismum fuerit consummata.

auctore; is vero unicum tantum expressit, qui est pro casu Apostoli I. Cor. 7. Restaret ergo pontificiae potestatis probatio seu iuris divini interpretatio facienda ex traditione seu praxi." Cfr. votum theologi S. C. C. ex a. 1727 apud Kutschker, Eherecht d. kath. K. I. p. 415.

[1]) l. c. II. p. 318.
[2]) l. c. III. p. 320.
[3]) Archiv f. kath. Kirchenr. XI. p. 248.
[4]) ibidem 46. p. 388.
[5]) l. c. p. 396—401; 411—416.
[6]) l. c. p. 537.



# THESES CONTROVERSAE

QUAS UNA CUM

COMMENTATIONE THEOLOGICA

QUAE INSCRIPTA EST

# DE INDIVIDUITATE MATRIMONII

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI THEOLOGORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN S. THEOLOGIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE I. MENSIS MAII ANNI MDCCCCI. HORA XI.

PUBLICE DEFENDET

**CAROLUS BOECKENHOFF**

DIOECESIS MONASTERIENSIS PRESBYTER.

---

**CONTRADICENDI PARTES SOLEMNES SUSCIPIENT:**

R. D. **HERMANNUS KERKHEY**, DR. THEOL. ET PHIL., CONCIONATOR ECCL. CATH. MONASTER.

R. D. **THEODORUS NABER**, PRESB. DIOEC. MONASTER.

R. D. **JOSEPHUS REINKE**, CAND. PHIL., PRESB. DIOEC. MONASTER.

# Theses controversae.

1. Materia ordinationis sacerdotalis consistit in impositione manuum Pontificis super caput singulorum ordinandorum primo facta et dein continuata in suspensione manus dexterae super omnes.

2. Post contractum onerosum de re illicita factum, etiamsi altera pars malam actionem praestitit, obligatio iustitiae commutativae ad solvendam mercedem probabilius non adest.

3. Libros III. et IV. Regum Ieremiam habere auctorem verisimillimum est.

4. Hebr. XIII. 10. Apostolus loquitur de altari eucharistico.

5. Antiquae Hibernensium traditioni S. Patricium eorum insulam liberasse a quibusdam noxiis animalibus, quibus revera paene caret, non est tribuenda fides historica.

6. Singula instituta ecclesiastica sunt vera subiecta proprietatis bonorum temporalium sibi adscriptorum.

7. Potestati civili saltem devolutive competit ius statuendi impedimenta matrimonii dirimentia pro subditis infidelibus.

# Vita.

Natus sum Aloysius Carolus Boeckenhoff in oppido Schermbeck in confinio provinciarum Guestphaliae et Rhenaniae sito die 10. Iulii a. 1870 patre Carolo, matre Elisabeth de gente Prinz, qui ante aliquot annos pie dormierunt.

Litterarum elementis imbutus sex annis in progymnasio Dorsteniensi, dein per biennium in gymnasio Paulino Monasteriensi humanioribus vacavi. Obtento maturitatis testimonio anno 1890 ibidem inter cives almae litterarum academiae receptus per quatuor annos studiis philosophicis et theologicis operam dedi; quibus persolutis die 19. Maii 1894 ab Illmo et Rmo D. Hermanno episcopo Monasteriensi sacerdotio initiatus sum. Paulo post parocho Dolbergensi in subsidium curae animarum adiunctus anno 1897 mandante Rmo Ordinario Romam petii et inter sacellanos Hospitii Teutonici B. M. de Anima adscriptus studium iuris canonici, quod Monasterii Rmo D. Ioanne Hartmann patrono coeperam, in scholis RR. DD. Mariani de Luca et Francisci Wernz prosecutus anno 1899 in Universitate Gregoriana DOCTORIS IURIS CANONICI insignia accepi. Quo facto per annum circiter ad iuris usum et tractationem addiscendam in negotiis Curiae Romanae praesertim in Studio S. Congr. Concilii versatus ineunte vere a. 1900 universitatem Berolinensem adii, ubi per annum duce clarissimo professore Seckel fontes iuris eiusque evolutionem historicam penitius perspicere et perscrutari studui. Nunc munere fungor vicarii ecclesiae cathedralis Monasteriensis.

Docuerunt me praeter eos quos supra dixi, Monasterii viri doctissimi ex philosophorum ordine Hagemann, † Hosius, Kappes, Killing, Niehues, Nordhoff; ex theologorum ordine Bautz, Doerholt, Fell, † Funcke, Hartmann, Mausbach, Pieper, A. Schaefer, B. Schaefer, Schmidt, † Schwane, Sdralek; Berolini viri doctissimi Aegidi, Huebler, Preuss, Tangl, Zeumer.

Omnibus igitur, qui studiis meis faverunt, debitas gratias ago, imprimis vero viris eximiis Hartmann, Seckel, Wernz gratissimum semper animum habebo.







